


berg

ss.

6

1791



1928 K 944

669

62

DE

# H A E M O P T Y S I

GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE

CONSENSV

PRO GRADV DOCTORIS

O B T I N E N D O

DISPVAT

HIERONYMVS IACOBVS CONRADVS LVTHERVS

ERLENFOERDEA - HOLSATVS

MEDICINAE CANDIDATVS.

D. XXII. MENS. SEPTEME. A. R. S. MDCCLXXXIII.

VITEBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII.

1783



Adolescens moritur, dum valet, fentit, sapit,

*Plautus.*



ILLVSTRISSIMO GENEROSISSIMO

A T Q V E

EXCELLENTISSIMO DOMINO

D O M I N O

HIERONYMO DE THIEN

DYNASTAE IN MAASLEBEN, SEEGARDEN,

ET ARATOFF CET. CET.

POTENTISSIMI REGIS DANIAE CONSILIARIO

PROVINCIALI

DOMINO SVO GRATIOSISSIMO

PATRONO INDVLGENTISSIMO



HANC

DISSERTATIONEM INAUGURALEM


OMNI QVA DEGET PIETATE

GRATA DEVOTAQVE MENTE

D. D. D.

AVCTOR





## PROOEMIUM.

**I**n tanta morborum multitudine, quibus corpus humanum est obnoxium, ii maxime nullo non tempore mihi visi sunt medici attentione, vigilantia, diligentia atque adeo sollicitudine egere, qui ab antiquis artis medicae doctoribus dicuntur longinqui seu diurni, et sub quibus, uti aiunt, nec sanitas in propinquo, nec exitium adest. Eiusmodi enim morbi, cum ab initio delitescant veluti, et molestias vel nullas, vel admodum paucas easque leues creent, minus videntur periculosi hominibus, qui his laborant malis. Atque hinc fit, ut silentio supprimant saepe, ac tum demum medici circumspiciant auxilium, cum morbus, quem putabant leuem, dormientem, quin etiam curatum, vel in alium eundem-

A 3

que

\*) Vid. *Celsus* de Medicina Lib. III. Cap. I. pag. III. Ed. Almeloueen. It. *Aretaeus* de causi. et sign. morbor. diurn. Idem de Curatione Morb. diurn. et *Aurelianus* de morb. Chronicis.



que grauiorem transit, vel adeo increuit, vt natura et ars vix sufficiant ad eum superandum sanandumque. Cum igitur huic morborum generi Haemoptysis, siue sanguinis per os e pulmonibus reiectio, quoque adnumeretur, quo et ego olim ipse laboraui, et quem obseruandi mihi non nunquam contigit oportunitas; putauit, me, huic Almae Academiae iam vix dicentem, operae pretium facturum esse, si huiusce morbi indolem, causas, signa, symptomata atque curationem in hoc libello paulo accuratius atque vberius exponerem. Quamquam vero hoc argumentum satis graue, iam a pathologis, iisque viris haud indoctis, satis accurate atque perspicue est pertractatum; tamen nondum omnia, vt mihi quidem videtur, ita sunt exhausta, vt nihil possit addi amplius, quod faceret, ad hanc rem melius perspicendam et de ea rectius iudicandum. Aggrediar ideo iam pro virium mearum tenuitate huius rei explanationem.

*De Haemoptysi in genere.*

Quod itaque ad morbum, qui Haemoptysis vocatur, attinet, occurrit iste in qualibet fere aetate, prae caeteris tamen iuuenili est familiaris. Infantes enim vel nunquam, vel rarissime illo afficiuntur malo; aetas senilis raro, frequentius tamen quam infantilis eodem vexatur; frequentissime vero aetas iuuenilis huic morbo est obnoxia. Hoc etiam iam multorum, imo plurimorum praecipuorumque scriptorum auctoritate atque experientia confirmatum, nec non abunde notum est, iuuenibus praecipue Haemoptysin atque phthisin esse familiarem, et quidem ab anno quindecimo vel vigesimo, vsque ad trigesimum quintum, rarius tamen vltra; <sup>b)</sup> vt Hippocrates <sup>c)</sup> indicare videtur; cum dicit: *Φθίσις γίνεται μάλιστα ηλικίησι τῆσιν ἀπὸ ἑκτωκάδεκα ἐτῶν μέχρι πέντε* ηξ)

b) Conf. Fr. Hoffmann Syst. Med. Rational. Vol. IV. P. II. p. 35. Ed. Venet.

c) Aphorif. Sect. V. n. 9. p. 90. Ed. v. der Lind.







καὶ τριήκοντα ἔτεών; et alibi, <sup>d)</sup> Τοῦτοι δὲ νενήσκουσιν, αἵματος πύσιες, φθίσιες, πυρετοὶ ὀξέες, ἐπιληψίαι e. s. p. Hanc nostram quoque sententiam erudite sciteque exposuit *Switenius* <sup>e)</sup>, dolens haemopticoicorum infaustam duramque sortem; ait nimirum: Quoties doluerunt medici, dum in ipso aetatis flore, venustissimae formae iuuenes, vtriusque sexus, saeuus hic morbus abstulit, vt turbo nascentes rosas. Licet vero Haemoptysis morbus est iuuenibus praeprimis familiaris, tamen non negamus, homines aetate prouectiores eidem esse obnoxios, et probant exempla; ex quibus adparet, non modo senes, quinquaginta, sexaginta et vltra annorum, verum etiam infantes <sup>f)</sup> hoc morbo fuisse oppressos. Mirandum igitur sane non est, quod *Celsus* <sup>g)</sup> dicit, terrere posse aliquem, cum sanguinem expuit. Maxime vero terrere possunt iuuenes, sanguinem pulmonibus reiicientes, vtpote periculo profus non vacant; spectamus modo ad ipsam pulmonum substantiam atque structuram, ratione magnitudinis vasorumque innumerabilium, quibus maxime omnium corporis totius, pulmones gaudent, ad perpetuam repletionem et continuum, in quo pulmones constituti sunt, motum, ad expansionem nimirum et contractionem, magnamque sanguinis copiam in iis circulantem, maxime autem ad ad eorum sensibilitatem, quae euidentissime cernitur in phthisicis, quorum pulmones debiles, fereque destructi, ferre nihil queunt, qui vociferatione, cantu, risu, aere frigido, anabathorum ascensu et quolibet iusto corporis vehementiori motu, leuissima quamuis caussa, ad tussim statim vrgentur, pulmonum irritatione producta. Quis itaque futurus est, quin rationibus his probe subductis et intellectis, non exhorrescat, inque imis suis medullis

se

d) Ibid. Sect. 3. n. 29. p. 81.

e) Comment. in *Boerhaave* Aphorif. T. IV. p. 9.

f) Tale exemplum refert *Rhodius* in *Obseru.* 30. Cent. I. de puella nouenni.

et *Armstrong* in *Samml. auferles. Abhandl. zum Gebrauch für pract. Aerzte.* Vol. IV. p. 105. de infante bienni, cum tussi conuulsua, Haemoptysi laborante.

g) *L. c.* Lib. IV. Cap. IV. N. 5. p. 202.



se commoueri, non sentiat! Arbitramur autem, iuuenes nulla fere alia causa, nisi sua cuiusque culpa ac prodicione, hunc sibi contrahere morbum; e contrario temperantiae et castitati, imprimisque sobrietati deditis, longe rarius accidere. Has vero virtutes non amplectentes, sed animos corporaque perturbantes, mille sibi vias ad morbos grauissimos, imo ad praematuram saepe et repentinam mortem, adperiunt. Sat igitur adparet, quanta vigilantia, prouiso cautioque adhibenda sit, ut pericula nostra mature discamus, praeuideamus quae in nos vibrari possunt tela, eorumque vim, quantum fieri potest, irritam reddamus.

*Haemoptysis denominatio.*

Progredimur iam ad *Haemoptysis denominationem*, sic enim Graeci medici adpellabant omnem sanguinis eiectionem per os, a vocibus *αἷμα καὶ πτύω*; sed variis praeter ea nominibus ad eundem morbum significandum, utebantur, quae paucissimis hic nobis explicanda sunt. Respiciebant imprimis ad eius originem, hinc *Aretaeus* <sup>h)</sup> sanguinem a capite, palato faucibusque prouenientem, simpliciter vocat: *πτύω* vel *αἱμορρογίαν*; si vero a pectore et visceribus ibi locatis, imprimis pulmonibus et aspera arteria, prodiret, adpellat: *ἀναγωγὴν*, quia sursum ascendit, et *Trallianus* <sup>i)</sup> ad eundem effectum significandum, hac quoque voce vitur. Apud *Galenum* saepe legitur *ἀραιώτικα Φάρμακα*, quae τοῖς πικνωτικαῖς opponuntur. *Celsus* <sup>k)</sup> secundum *Aurelianum* <sup>l)</sup> triplicem *Haemoptysis* speciem considerat. Primam speciem, si vasa rumpantur a vi quadam illata, vocat: *ἔξω* et *ἔρημοχασμὸν*, siue hiatus rupti vasis. Alteram, vbi ab ipsa humorum per vasa ducendorum, acrimonia, erosio fit; vocat: *διάβρωσις*. Tertiam denique

h) De Caus. et Sign. Morb. Acut. Lib. 2. Cap. 2. p. 12.

i) Lib. VII. Cap. I. pag. 285.

k) Lib. IV. Cap. IV. N. 5. pag. 202.

l) Tard. Passion. Lib. 2. C. 9. p. 10.

denique Haemoptoes speciem, vbi integris manentibus vasis, adeoque nec ruptis nec erosis, per vltima eorum orificia dilatata, sanguis exit; dicit: *ἀνασείμασι*.<sup>m)</sup> In variis adhuc priscorum scriptis varia leguntur nomina, quae vero propter temporis ac spatii angustias, omnia enumerare haud licet; atque, in definiendo morbo vt ordine procedatur, ad differentias, causas, symptomata, et denique curationem, quantum fieri poterit, nos iam conuertemus; de quibus autem singulis in sequentibus paragraphis specialiter dicturi sumus.

*Haemoptysis Diuisio.*

Triplici autem modo Haemoptysin concitari, supra iam euitum est, etsi *Galeno* <sup>n)</sup> quartum, quem *διαπύδησι* vocat, addere placuerit; difficillime tamen nobis videtur et fere impossibile, transfudare posse sanguinem rubrum et quidem tanta copia per vasorum pulmonalium membranas, vt inde Haemoptoe sequi possit. Asserit enim Auctor, dum vasorum tunicae fiant rariores, et sanguis simul reddatur tenuior, sibi per fibrarum interstitia, quaerere viam. Ad originem vero si respiciamus curatius, adparet, *διαπύδησι* praesupponere sanguinem vel humores, acres, tenues, resolutos, visceris autem atque vasorum tenuitatem et debilitatem, vt eorum fibrae inde separari transfudatioque sequi possit. Idem quoque fit in erosione, dum ab humorum acrimonia rumpuntur vasa, atque sanguinem inde emittunt. Haud necessarium itaque fore, arbitramur, has duas classes, vnã tantum

<sup>m)</sup> Neminem adhuc dubitaturum fore, arbitramur, quin per vltima vasorum ostia, sanguis possit egredi, ruber, quum per certa anatomicoꝝ experimenta constet, iniectam aquam in pulmonum cellulas et ipsa bronchia fuisse egressam.

Conf. si placet hac de re *Sauvages*. *Nosolog. Method.* Vol. 2. p. 287. It. *Lieu-taud* *Hist. Anatom. Med.* T. II. pag. 462.

<sup>n)</sup> *Method. Medend. Lib. V. Cap. II. Charter. Tom. IX. p. 105.*



tum efficientes, a se inuicem separare, aliamque, forsan fictam, excogitare. Negamus etiam argumentum illud, quod habetur apud *Huxhamium* <sup>o)</sup> pro confirmanda hac *Galenii* sententia, ubi haec leguntur: quasdam enim Haemoptyses non a vasorum ruptura oriri pro certo habendum esse, existimo, cum ne vllus quidem dolor, materia purulenta vel simile quid, eam praecedat, subsequatur aut concomitetur; propterea, quod ex dolore certi quid determinari nequit, et cum in ea Haemoptysi, quae per *ἀναστόμισην* fit, dolor quoque praecedat nullus. Quod si praeter ea ad sanguinis impetum, quo ex cordis ventriculo in pulmonum vasa propellitur, attendamus, non nisi incurabilis omnium vasorum destructio, totiusque visceris consumptio cogitari potest. Distinxerunt etiam veterum nonnulli Haemoptysin in erraticam et periodicam. <sup>p)</sup> Erraticam vocant, quae incertis temporibus aegrum inuadit; periodicam vero, quae definito temporis spatio aegrotantes vexat. Alii recentiorum diuidunt Haemoptysin in veram et spuriam. <sup>q)</sup> Veram appellant eam, quae in pulmonibus sedem suam habet; spuriam contra: quae ex aspera arteria provenit. Hae autem diuisiones nobis non satis accuratae videntur, quippe illa triplex diuisio omnes, et adeo duodecim illas species, quas *Sauuages* <sup>r)</sup> recenset, simul comprehendit, quae tamen in his per subdiuisiones demum euoluendae sunt. Superest denique alia aequae accurata diuisio, quae vt in plurimis morbis in hoc quoque locum habet. Est nimirum vera Haemoptysis vel idiopathica, vel symptomatica. <sup>s)</sup> Idiopathicam vocamus eam: quae ex solo pulmonum vitio ortum suum ducit; Symptomaticam autem, quae non pulmones, sed alium atque remotum locum pro

<sup>o)</sup> Vid. eius Opera Phys. Med. Tom. II. p. 173. Ed. Reichel.

<sup>p)</sup> Conf. *Michaelis* Diss. de Haemoptysi p. 7. item *Mulleri* eiusdem argumenti p. 5.

<sup>q)</sup> Vid. *Neifeld* Ratio Medend. Morb. Circul. Sanguin. p. 377. et *Daniel* Syst. Aegritudinum. Vol. I. p. 102.

<sup>r)</sup> l. m. c. Voll. II. p. 287 seq.

<sup>s)</sup> *Cullen*. Nosolog. Method. p. 425.

pro causa efficiente agnoscit, ut Haemoptysis ex catameniorum retentione, cet. Sequemur autem in morbo pertractando, triplicem illam diuisionem, quam modo dedimus, ut eo accuratius vna species ab altera possit distingui. Ex his igitur, confidimus, liquere, *ἀναστόμωσιν*, siue ostiorum dilationem, *διείρησιν*, siue vasorum rupturam et *διὰ βρωσιν*, siue vasorum erosionem, primarios esse modos, quibus Haemoptysis possit oriri.

*Haemoptysis Differentia.*

Quantopere vero altera Haemoptysis species ab altera differat, ex iis, quae in antecedentibus sunt a nobis disputata, iam patet. Vtrum vero quodlibet sanguinis sputum vocari possit Haemoptysis? dubitamus. Differentia enim satis magna nobis esse videtur, inter sanguinis sputum ex naribus per choanas ad os delatum, vel ex gingiuis, vel ex faucibus, vel ex ore alicuius venae adaptato, vel ex dilatatis emissariis glandularum tracheae, vel ex vitio partium mollium in oris cauo, et inter id, quod in pulmonibus sedem suam habet. Hoc enim multo periculosius est prioribus.

*Durius est fatum, si per spiracula pulmo  
Sanguineas mittit spumas grumosque cruentos.*

Maxime etiam et toto coelo differt Haemoptysis a vomitu cruento, qui tamen saepissime cum ea confunditur, differt enim sede, causis, symptomatibus et ipso eiectionis sanguinis colore. Per vomitum autem cruentum, sanguis ater et grumosus e ventriculo, praegressis circa cordis scrobiculum pressionibus, vomendi conatibus atque nausea, vel ex ventriculi vasis, vel plerumque ex vasis breuibus, quae a liene ad ventriculum abeunt, in ipsum ventriculum infillans, per fauces eiicitur, haudquaquam igitur inter se confundenda. Bene quoque a morbo nigro Haemoptysis est distinguenda, in quo modo per aluum, modo per vomitiones ma-



teria nigricans ex atro rubra, excernitur. Interdum etiam accidere solet, vt inter dormiendum, reclinato corporis situ, sanguis naribus scatens per choanas in oris cauitatem delatus, et vel in laryngem, vel in pharyngem delapsus, matutino tempore cum sreatu eiiciatur et aeger se Haemoptysi laborare pulmonali, credat. Haec tamen eiectione a medico, qui vel ad oris cauum, vel ad sanguinis faciem respicit, facillime detegitur. Omnibus autem oris haemorrhagiis accurate pensitatis, vna tantum species, cui Haemoptysis nomen competit, esse, nobis videtur, et quidem periculosissima, vbi pulmonibus sanguis eiicitur. Quum vero secundum naturae leges, sanguis pulmonibus integris fursum eiici nequeat, scrutari medico incumbit, vtrum latex ex hoc, an ex alio fonte promanet? quod ex Diagnosti, de qua mox fusius dicendum, patebit.

*Diagnosti.*

*Diagnostica signa* difficile quidem sunt determinanda, quaedam tamen proponenda sunt, quibus, si stricte attendamus, primo certiores reddimur de sede; vtrum sanguis ex pulmonibus, an ex alio loco prorumpat? dein autem, postquam cognouimus sanguinem e pulmonibus provenire, colligere possumus, quanam modo dictarum specierum sit culpanda? De prioribus igitur primo loco disputandum est.

*Signa Pathognomonica*, de quibus iudicatur, sanguinem pulmonibus provenisse; sunt: anxietas praecordiorum et molesta spirandi facultas, calor et dolores in pectore grauatiui, interdum et sensus in hypochondriis tensorius, genarum rubor cum febriacula haud raro concomitata, sequitur titillationem asperae arteriae sapor dulcis nec non salus, provenit denique, praegressa tussicula

\*) Huius quoque sententiae est Lud. cens: Non omne sanguinis sputum Haemoptoe esse dicendum. Vid. eius Inst. Clinic. §. 384. di.

tufficula sicca, sanguis pallidus, rubescens, floridus, facie spumefcente. Cognoscitur etiam ex quantitate, cum sanguis ex alio fonte promanans oreque eiectus, nec diu durare, nec tanta quantitate eiici soleat, sed per breue modo tempus dilutoque ore statim sedetur; quodsi vero maiori quantitate excernatur, praegressis modo recensitis signis, pulmones procul dubio sunt accusandi, in primis autem de eorum laesionibus suspicamur; affirmante *Celso* \*) qui spumantem sanguinem excreant, iis in pulmonibus vitium est.

E praefatis igitur sat colligi posse, ducimus, quaenam sit laticis origo. Iam vero accedimus ad signa, quae de causa proxima nos conuincunt; nimirum, vtrum *ἀναστόματος*, an *διάξεως*, an *διάβρωσις*, sit huius effluuii causa. Distingui autem praeprimis potest per dolorem; miseri enim, quibus per *ἀναστόματιν* sanguis effluit, minus percipiunt doloris, quam ii, quibus per *διάξεσιν* et *διάβρωσιν* eruit, propterea, quod per *ἀναστόματιν* nulla vasis inferitur vis, sed sanguis vasorum ostiis sensim dilatatis, calore quodam ab aegris percepto effluit et pectoris pressionibus fere insensibilibus, inde iucunde liberantur. Differt porro quantitate inque perniciem minus cadit, effuso enim sanguine, nisi eiusdem impetus nimis fortis, sponte sua iterum vasorum ostia collabuntur, e contra, quibus per *διάβρωσιν* et *διάξεσιν* sanguis effluit, duplici quasi periculo exponuntur, maiorem persentiscunt dolorem pressionemque saepe intolerabilem, propter vasorum vulnera exesa, inprimis si plura vasa simul rumpantur sanguisque copiosior fortiorque effundatur. Audiamus hic *Galenii* \*\*) verba, qui ita disputat: obruptum vas sanguinis reiectiones cum doloribus fieri, qui rupturae locum designat, nec secus, quae venae erosione vel derosione, siue aliter, quomodo libet, nominare volueris,

B 3

obortae

\*) Lib. II. Cap. 7. It. *Hippocrates* ἢ τιαύτη ἀναγωγὴ γίνεται. v) De Aphorism. 5. p. 96 aiens: Ὄκονοι ἀνω Locis affect. Lib. V. Cap. V. p. 492. ἀφ᾽ ἧδὲ ἀναστρέφει, ταυτίσιν ἐκ τῆς πλείστον



obortae sunt; quae vero per *ἀναστροφήν* fiunt, omnino doloris sunt expertes.

Quaelibet praeterea Haemoptysis species ex *Anamnesticis* signis facile iudicatur. Ita, a *διαίεσι* Haemoptysis facta, ex violentia quadam externa praegressa, pectoris fortiori concussione, et plerumque subita sanguinis eiectione, determinatur. A *διαίεσι* Hemoptysis nata, iudicanda est, ex praegressa longaque protracta tussi, pectoris dolore sanguinisque eiectione quantitate. Haemoptysis denique ex *ἀναστροφήσι* oborta, superuenit in primis iis, qui vel sanguinis eiectionibus aut naturalibus aut artificialibus obstructis laborant. Ex his igitur lucide adparet sanguinis sputum, quod vel ex oris superficie, vel e gingiuis, vel e naribus ad os delatum, prouenit, ab illis facile esse distinguendum, cum sine pectoris dolore, sreatu ac tussi eiiciatur. Quodsi vero sursum ventriculo eliminetur, nausea plerumque vomendique conatus praecedunt, quas denique grumosi sanguinis effluxus, pituita, cibusque haud raro commixta, sequitur. Quam sanguinis eiectionem pathologi appellant Haematemesin. Plura Diagnostica signa referunt: *Benedictus*, <sup>w)</sup> *Solanus de Luque*, <sup>x)</sup> *Switenius*, <sup>y)</sup> *Hoffmannus*, <sup>z)</sup> *Lieutaud*, <sup>a)</sup> *Cullen*, <sup>b)</sup> *Daniel*, <sup>c)</sup> et alii, ad quos breuitatis causa lectores ablegamus.

*Causa Proxima.*

Pertractata *Diagnosi*, iam de *Causa Proxima*, quae morbum ipsum immediate praecedat, dicendum est. Est autem haec *Causa Proxima* triplex, ut ex antecedentibus patet; nimirum primo: ostiorum nimia dilatatio, quae efficitur ab excedente va-

forum

w) *Theatr. Tabidor.* p. 64.

x) *Origen morbofo commun.* p. 168.

y) *Comment. in Boerhaave Aphor.* Vol. IV. p. 20.

z) *Sytema Medic. Rational.* T. IV. P. II. p. 33. Ed. Venet-

a) *Synops. vniuers. Prax. Medic.* T. I. p. 181.

b) *Firstlines of the Practice of Physic.* Lond. 1779. T. 2.

c) *Systema aegritud.* Vol. I. p. 105.



forum repletionem et sanguinis pulmones versus, congestione, praesente tamen solidorum laxitate. V. g. si consuetae sanguinis effusiones vel obstruantur, vel supprimantur, abundans sanguis aliam sibi quaerit viam, qua facilius et sine omni obstaculo possit excerni; quum vero pulmones viscus sint, plurimis vasis sanguiferis stipatum, apertum est, eiusmodi accumulationem in pulmonibus eo facilius fieri posse, hisque nimium repletis *αναστάμωσις* pathologica oritur. Altera *Causa Proxima* Haemoptysin excitans est pulmonum erosio, quae ab acrimonia specifica, vel nimis resoluta ac tenui sanguine, efficitur. Sic v. c. deiectiones fieri possunt materiae serophulosaе, arthriticae, rachiticae, variolosaе, scorbuticae, venereaе, cet. qua vasa pulmonalia roduntur, hisque erosio sanguinem emittunt. Porro erodi possunt pulmones a cacochymia quadam humoribus inhaerente, a corporibus peregrinis ad pulmones depositis, et s. p. Tertia denique *Causa Proxima* in eo cum priori conuenit, vt nimirum vasa rumpantur, indeque sanguinem plorent. Differunt tamen haec duae causae ita inter se, vt prior scilicet erosio, a causa in corpore haerente, nascatur, haec vero a causa externa, occasionali atque remota procreetur, v. c. a vi quadam externa, quae corpori infertur et s. p. vnde vasorum ruptio existere facile poterit.

Haec sufficiunt dixisse de *Causa proxima*; progredimur iam ad causarum remotarum explicationem, quarum primo loco *Praedisponentes* et dein *Occasionales* iustrabimus.

*Causae Praedisponentes.*

*Causa Praedisponens* primaria plethora nimia esse videtur, quae, licet in solidis fluidisque partibus nullum euidens vitium, tamen cum variis denique causis occasionalibus coniuncta, ad Haemoptoen homines procliuēs reddit, et minima inde occasione in morbum ipsum trucidat. Accedunt adhuc varia, quae corporis structuram ita commutant, vt debilitati Haemoptylis succedat,



succedat. v.g. in nimia pectoris angustia et mala dorfi conformatione, praesertim in gibbosis, coniectamus pulmones paruos, debiles, pleurae vt plurimum accretos. Sunt etiam mortalium complures, qui naturali pulmonum atonia ac humorum dyscrasia laborant, eoque facilius in Haemoptysin incurrunt, v. c. acrimonia muriatica aliaue specifica acrimonia, morbo facile ansam praebente. Non nulli adeo colli longitudinem et praecocis ingenii subtilitatem accusare voluerunt. Vtrum vero hae ad Haemoptysin excitandam aliquid conferant? vniuersaliter haud affirmamus. Idem esto iudicium de dispositione haereditaria, quae ad morbum producendum haud parum conferre, multis videtur.<sup>d)</sup> Nulla autem fere *Causa praedisponens* sola, Haemoptysin profert, nisi causis occasionalibus accedentibus praegressis, quibus pulmones antea iam debiles adficiuntur et ad sanguinis effusionem vrgentur. Ratione temperamenti ad Haemoptysin inprimis faciles videntur, qui temperamento sanguineo et cholericico gaudent. Quod vero sexum attinet, Haemoptysis morbus est vtrique communis, mares enim aequae ac feminae eadem corripiuntur; prior tamen censetur sexus sequior,<sup>e)</sup> propter plethoram, qua hic sexus prae potiori laborat, accedit quod lactatio ac menstruale officium saepe Haemoptysi occasionem praebent, in primis feminis iis, quarum solida nimis laxa, vel quae antea iam pulmonum aliquo vitio decubuerunt,<sup>f)</sup> hae enim facile protracta lactatione in Haemoptysin incidunt. Cur vero feminae oppidanae prae rusticanis in hunc morbum declinant, exinde deriuari videtur: primo enim illae tenerioris corporis sunt texturae, quod victu non tam crassiori vtuntur, atque fruuntur educatione delicatiori, deinde, accusanda est pessima illa, apud mulierculas oppidananas recepta consuetudo, quae virginum pectora fibulatoriis<sup>g)</sup> arctissime

d) Conf. *Beuch* Diff. de Haemoptysi, Frankf. 1711.

e) *Lientaud* l. c. p. 182.

f) Conf. *Plenk* Elem. Artis Obstetric. pag. 72.

g) Fusius hanc rem exposuit: *Langguth*

lime stringunt, vt iuncea videantur. Hinc pulcre ait *Trentius*:<sup>h)</sup>

*Haud similis virgo est virginum nostrarum; quas matres student  
Demissis humeris esse, vincto pectore, vt graciles sent.*

Comprimuntur nimirum costae ipsumque thoracis cauum coagulatur, et impeditur, quo minus pulmones in omnem suum ambitum sese possint extendere. Vasa itaque pulmonalia sanguinis mole fiunt ampliora atque data occasione, vel rumpuntur, vel ostiis eorum sensum amplificatis, sanguinem emittunt. Inclinant denique in hunc morbum, qui vitae sedentariae addicti, compresso sedere solent abdomine, vt litterati, scribae atque opifices non nulli, e. g. sartores, textores, chirothecarii, tibialium textores,<sup>i)</sup> et s. p. impeditur enim in iis humorum circuitus, atque in superioribus locis sanguis nimium accumulatur, densus redditur, vasa distendit, laxat et ad euacuationem, sine aliqua vi euidenti illata, denique cogit.

*Causae Occasionales.*

Vidimus iam e praecedentibus praedispositionem vel a natura in corpore latere eique esse propriam, vel etiam a corporis structura

*guth* in *Diss. de Morbis sexus sequioris ex nimio peruersoque pulcritudinis studio oriundis*, Viteberg. 1757. pag. 26 ad calcem; Item *Huxham* de pleuritide T. II. Op. Med. p. 212. ait: Fortior corporis constrictio et compressio ad staturam formosioram reddendam, plures pulchras virgines effecit Haemopticas ipsarumque pulmones, plenam et faciliem inspirationem impediendo, deuasauit.

*h)* Comoed. Act. II. Scen. III. Vers. 21.

*i)* Vnde *Ramazzini* in libro suo: *Abhandl. von den Krankheiten der Künstler und Handwerker*. Ed. Ackermann. 1780. Vol. I. Abschn. 3. Cap. I. Von den Krankheiten der Weber p. 189 affirmat: Am häufigsten sieht man, das Zeug und Leinweber von dem Blutspen befallen werden, und so häufig, das man mit Recht glauben kann, es sey diese Krankheit diesem, und noch mehr dem Strumpfwirkerhandwerke, besonders eigen.

C



structura vitaeque consuetudine sensim nasci. Cum vero ad morbum producendum illae haud sufficient, necesse est, *Causae procatarticae*, ad causam proximam efficiendam, accedere, quarum enarratio huius paragraphi argumentum esto. Pulmones, quorum laxior prae ceteris visceribus est fabrica, facilius saepiusque quam reliqua corporis viscera affici, nimis notum est; unde etiam simul adparet multas esse causas, quae eorum laesionibus ipsique Haemoptysi occasionem praebent. Harum autem causarum cum permultae sint, praecipuas modo atque principales hic indicare sufficit. Omnes vero *Occasionales* Haemoptysin efficientes *causae* in aliquot classes comprehendi facile posse, videntur, ut vno quasi intuitu sese nobis sistant. Primam earum efficiunt ea: quae sanguinis motum nimis augent. Alteram: quae subitam mutationem in systemate circulatorio producant. Tertiam: quae corpori nimiam violentiam inducunt. Quartam: quae pulmonum erosiones efficiunt, quibus denique adiacere possunt ea, quae errores loci procreant. Age igitur, haec singula considerabimus adcuratius:

a) Humororum motus augetur, partim, a nimis corporis motibus, partim etiam ab animi motibus. Constat inter omnes, motum corporis excedentem, sanguinem exagitare. Videmus hoc in iis, qui nimis corporis exercitationibus indulgent, ex aestu, anhelitu, et pulsu celeri, facta autem agitatione magno cum impetu sanguis in minima vascula impellitur, accumulatur in pulmonibus, spiritus compressione, et vasa sanguine nimium extensa, vel aperiuntur, vel adeo rumpuntur. Ad corporis motus vehementes imprimis pertinent, exercitationes corporis solito validiores, ut equitatio, saltatio, <sup>k)</sup> cursus, <sup>l)</sup> e. s. p. Quantas

<sup>k)</sup> Conf. *Langguth* in *Diff.* modo citata. p. 13.

<sup>l)</sup> *Ramazzini* l. a. c. Vol. I. Absch. 3. Cap. V. Von den Krankh. der Laufer

p. 210. Qui inter morbos cursoribus communes etiam Haemoptysin numerat. Exemplis illud illustrare, superfluum iudicamus, cum in communi vita, pro dolor! tam frequenter occurrat.

tas vero turbas in corpore, a validis animi adfectibus, caussa motus circulatorii aucti, efficacissima, oriri, tam ex historia medica, quam ex quotidianis obseruationibus quae in communi vita occurrunt, satis constat; procreant non solum Haemoptysin, sed etiam pertinacissimos grauissimosque morbos, imo subitam saepe mortem. Huc inprimis referenda sunt: animi pathemata, tristitia, ira et subitaneae mentis commutationes.

b) Accedimus iam ad ea, quae subitam in systemate circulatorio mutationem efficiunt. Hoc autem fieri potest, partim per ea, quae corpori ingeruntur, partim etiam, aere atmosphaerico, corpus vbique ambiente. Illud efficitur, frigidus potus aestuante corpore affatim hausto, quo vasa subito hoc frigore constringuntur, et sanguis, qui per ea transire debebat, nequit, in iis stagnat, vasa nimium extendit et denique rumpit. Tristissima quoque adsunt exempla, de immoderato vini spirituumque ardentium abusu, in iunioribus praepriis plethoricis, neque minus de imprudenti medicamentorum bechicorum ardentium ac drasticoꝝ vsu, quae sanguinem in orgasmum ita perducunt, vt vasa, propter nimiam dilatationem tenuia, sanguinem emittant. Subita porro mutatio in corpore nascitur, ab electricitate <sup>m)</sup> immoderate ac incaute adplicata, in subiectis praecipue sensibilibus. Nec improbabile videtur, quod ex subita aeris atmosphae-

C 2

rici

<sup>m)</sup> Huius commatis triste exemplum prodidit Percival in *Essays Medical and Experim.* Vol. II. p. 181. It. in *Samml. für Pract. Aerzte* Vol. II. S. II. pag. 72. quod commemorari a nobis hic commode potest. Eine Mannsperson, die vielen hypochondrischen und Nervenzufaellen unterworfen war, zu denen sich hernach paralytische Umstaende gesellen, wurde mit ziemlich gutem Erfolg electricirt. Durch einen unglücklichen Fehler in der Lage der Kette, wurde aber der Schlag

einmal quer durch den Leib in der Gegend des Magens und nicht laengt des darauf liegenden Arms gegeben. Der Patient empfand in dem Augenblicke einen heftigen Schmerz, worauf nach wenig Minuten ein starkes Blutspeney erfolgte. Diese Blutfürzung hielt 2 oder 3 Tage an, und entkraefete den Patienten so sehr, das hiedurch gewis sein Tod wo nicht gar verurlicht, doch gewis beschleunigt wurde.



rici mutatione, possit cieri Haemoptysis.<sup>n)</sup> Si v. c. ex aere frigidissimo in conclauē nimis calefactum nos conferamus, vasa pulmonalia subito relaxantur et sanguinis impulsus in ea violenter augetur, vnde effusio per os, in corporibus ad Haemoptysin procliuius, fieri facile poterit. Calor itaque externus earum causarum vna est, quae ad Haemoptysin vrgent, inprimis in aestate sanguis nimium extenditur, soluitur, vasa quoque, in quibus continetur, nimis laxantur. Cum vero de calore ac aestu iam disputemus, non praetermittendum est, quod ipsemet aliquoties obseruauit, eos nimirum artifices, qui nimio calore versantur, saepe Haemoptysin sibi contrahere; e. g. hyalurgos et qui in officinis fusoriis opus faciunt, pistores, figulos, laterarios, calcarios cet. Manifestum igitur est, vt *Gaubius*<sup>o)</sup> ait: Calorem atmosphaericum vehementer nocere plethoricis, in haemorrhagiis pronis irritabilibus, praecipue autem generi neruoso infestum esse et pulmonibus, harumque partium functiones multis modis turbare.

c) Violentia nimia, quae corpori inducitur, saepe vasorum pulmonalium dilacerationem et Haemoptysin praesentaneam inde efficit,<sup>p)</sup> vt ictus pectori violentus,<sup>q)</sup> saltus ex alto, pondus e terra cum vehementia sublatum, graue, praecipitatio ex equo, cachinnus,<sup>r)</sup> tussis,<sup>s)</sup> nifusque vehementiores. Vociferatio aequae ac cantus,<sup>t)</sup> praesertim autem et quod quotidie occurrit, instrumentum

n) Conf. *Quellmatz* Progr. de frigoris acrioris in C. H. effectu. p. 9.

o) *Inst. Patholog. Med.* p. 209.

p) Haemoptoen a vi aliqua externa abortam, vocat *Stoll* *Rat. Medend.* Vol. 3. p. 16 vulnerariam, quia sanguis ex pulmonum vasis violenter faucibus eruit.

q) Conf. Exempl. quam maxime notabile in *Baion* Abhandlung von Wunden, Entzündungen cet. und deren Behandl. in heissen Laendern. T. I. pag. 31. Eif. 1780.

r) Vid. *Cauer* Sylloge *Obseru. Medicin.* Lips. 1780. Obs. I. p. 7. qui feminam vidit ex vehemēti cachinno sanguinem ad animi usque deliquia renicientem.

s) *Bonnet*, *Medic. Septentrion.* L. I. Exempl. quoque vid. apud de *Haen* *Rat. Med.* Vol. 10. p. 300.

t) Eiusmodi exemplum relatum legitur apud *Plinium* Lib. V. Ep. XIX. de *Zosimo*, qui sanguinem, postquam intente instanterque pronunciauerat, eiecit. It. in *Morgagni* de Sed. et Caus. Ep. 22. Art. 14.

strumentorum, tubarum, cornuum, rel. buccinatio, \*) et omnis generis actiones ad quas perficiendas, magni requiruntur conatus, et violentae et inaequales spiritus compressiones, vt in partu edendo et fecibus eliminandis, haud raro, praecipue in subiectis tenerioribus, Haemoptysin concitant. Nullum enim, vt *Ramaz-zini* \*\*) asserit: exercitii genus est, ex quo totum copus magis incalcescit, quam e vocis exercitatione; vnde concionatores, quorum pulmones tenerioris texturae, nimia pectoris concussione ad claram vocem exprimendam, \*) item cantores et oratores, qui diutius spiritum retinere, vimque pulmonibus inferre, coguntur, facile in Haemoptysin incurrunt; neque minus baiuli, cursores, saltatores, petauristae, etc. huic morbo sunt obnoxii. Sanguis enim venosus circa cor accumulatur atque pulmonum actio sanguinisque per eos transitus, turbatur, ob spiritus violentam et inaequalem compressionem. Demonstrant id: facies tumida, rubescens, venae iugulares, nec non frontales sanguine turgidae. Quodsi vero vasorum renisus sanguinis nisi non satis resistat, per se iam consequitur, vasa pulmonalia vel rumpi, vel eorum ostia ita debere dilatari, vt sanguinem exhalent.

d) Erosiones periculosas a pituita, in pulmonibus accumulata, acri, metuebat iam *Hippocrates* \*\*) aiens: *Κερίσκονται τὰ φλέγματος ἐν πνεύμονες, καὶ γίνεται τὸ πύον τῆτο ὃ διεσθί τὰς πνεύμονας.* Talis pituitae accumulatio haud raro accidit opificibus iis, qui multum pulueris deglutunt, molitoribus, pistoribus, capillatoribus, figulis, murariis, \*) metallurgis, e. f. p. Conglutinantur, protracta deglutitione, pulueres in massam calculis similem, qua pulmō-

C 3

nes

\*) *Diemerbroek* in *Obs. Medicar.* Obs. 36. casum habet, tibicinis alicuius, qui cum suo socio certabat, oriebatur subita pulmonum haemorrhagia, qua miser intra paucas horas iugulabatur.

x) de *Morb. Artificum.* Ed. 2. p. 276.

y) Conf. *Henr. Wedel* Tractatus de *Morb. Concionator.* Frankf. et Lips. 1758. pag. 20.

z) *Lib. de Glandulis.* p. 420.

a) Conf. *Ramaz-zini* l. l. p. 202.



nes irritantur, ad tussim coguntur, agitandoque roduntur. <sup>b)</sup> Praeterea adhuc notandi sunt calculi, <sup>c)</sup> qui vel in pulmonibus generantur, in dissectis cadaueribus conspicui, vel per metastasin ibi depositi, vtrique indicato modo, Haemoptysin facile concitant; hinc etiam *van Switen* <sup>d)</sup> vlcera, quae a pulmonum calculis oriuntur, fere semper in phthisin pulmonalem degenerasse, obseruauit. Mentionem hic quoque iniiciendam esse, arbitramur, vulgatissimi nostri temporis morbi, nimirum phthiseos, quae ex sola Haemoptysi ortum saepe ducit, <sup>e)</sup> atque propter ea tanquam effectus consideranda est; hic vero inter Haemoptysis causas numerari poterit, quippe illa iam praesente, Haemoptysis demum saepe nascitur. In oeconomia animali enim quotidie occurrit, vt aegri phthisi pulmonali afflicti, variis temporibus, imprimis circa finem morbi, sanguinem vel solum, vel cum ichore mixtum, exspuant, dum propter vasorum pulmonalium vulnera exesa circuitus impeditur, et sanguis effluit. Sic quoque vasorum destructiones fieri possunt, a nimio mercurialium vsu. <sup>f)</sup> Neminem autem latet, quam acre esse miasma venereum, ita, vt durissimas partes in corpore humano, nimirum ossa, friabiles reddat; inde certissime licet concludere, solida molliora quoque affici posse ita, vt requisitam mercurii quantitatem ferre nequeant. Simile malum nascitur ab aere, fumis halitibusque acrioribus, sulphureis aliisque particulis inquinato. Sulphuris imprimis vapores id incommodi habent, vt pulmonibus debilibus, quibus incaute ingeruntur, irritationes et erosiones faciant, inque mortis saepe

<sup>b)</sup> Pulmonem erosiones atque inde profecta Haemoptysis quoque fuit obseruata, ab inspirato Theae puluere, quod ex *Letisom* Natural History of the Teatree. Lond. 1772. notauit *Gesner*, vid. ei. Entdeckungen der neuesten Zeit in der Arzneysel. Voll. II. p. 815.

<sup>c)</sup> Conf. *Morgagni* de sedib. et caus.

Morb. Ep. XV. Art. 22. et *Morton* Phthisiolog. Lib. III. Cap. 6.

<sup>d)</sup> Comment. in *Boerhaave* Aphorism. T. IV. p. 59. Cum eo consentit etiam *Benedictus* in Theatro Tabidor. p. 110.

<sup>e)</sup> Dicit itaque *Lieutaud* l. f. c. p. 184. Haemoptysin esse Phthiseos prodromum.

<sup>f)</sup> Vid. *Plenk* de Morb. Venereis. Vien. 1779. p. 24.



saepe praesentissimum periculum praecipitent. Hinc qui in officinis aeriis, fornacibusque calcareis versantur, exhalationes carbonum fossilium, halitus orichalci liquefacti, arsenici, vitrioli aliorumque inspirant, vel Haemoptysi facile cõrripiuntur, vel adeo suffocantur. Erosiones denique pulmonum, ex sola pulmonum perspiratione subpressa,<sup>g)</sup> a materia morbifica repulsa, ab exanthematibus, catharrho, scabie et vlceribus antiquis intempestiue sanatis, cet. vt supra notauimus, oriri possunt.

e) Disputandum adhuc superest de ea Haemoptysi, quae ex errore loci prouenit. Eiusmodi errores fieri posse in vtroque sexu; nimirum in maribus ex obstructis haemorrhoidibus,<sup>h)</sup> in feminis autem vel ex suppressis, vel obstructis mensibus, aliisque vel a natura ordinatis, vel semel introductis atque consuetis effluuiis,<sup>i)</sup> vnde etiam eiusmodi Haemoptysin vocarunt periodicam, supra monuimus.

*Quas plethora premit, vel quibus solemnus anni  
Sanguinis profusum insueto tempore cessat.  
Saepe puella carens lunari flumine, fluit.*

Sic e. g. virgines aetate menstruali Haemoptysi haud raro opprimuntur,<sup>k)</sup> cum in vasis vterinis sanguis stagnans, emitti nequeat, ad pulmones, vbi minor eiusdem resistentia, iterum repellitur, ibidemque per fauces eicitur.<sup>l)</sup> Idem saepe accidit puerperis, quibus

g) Conf. *van Swieten*. l. c. p. 17.

h) Conf. *Schmucker* Chir. Schriften P. I. pag. 105, inquit: se nouisse viros Haemoptoicos ex suppressis haemorrhoidibus, qui quouis mense per superius guttur sanguinem reiecerunt.

i) Non solum autem obstructis catamenis, verum etiam iisdem simul profluentibus, Haemoptysin nasci posse, ostendit *Thompson* Medical Consultat. on various diseases. p. 85, exemplo: in femina qua-

dam ex neglectis corporis motibus plethorica facta, et quater simul cum catamenis sanguinis sputo laborante, quod vero restituito motu ac celebrata venae sectione sistebatur.

k) Vid. *Celsus* Lib. IV. Cap. 4 p. 202.

l) Vt *Gaubius* Institut. Patholog. Med. p. 471. §. 826. docet inquit: Quae suppressa menstrua quandoque consequi, horumque vicaria esse solet, errans sanguis per aliena loca euacuatio ex peruersa motus



bus lochiorum fluxus retinetur, vt obseruauit *Leuret, m)* nec non iis, qui venae sectiones semel introductas negligunt, et haemorrhoidum obstructione laborant. Ex haecenus enumeratis igitur abunde patet, quam variis modis et proxime et remote Haemoptysis possit concitari.

*Symptomata.*

Lustratis causis iam perueniendum est ad Haemoptysis *Symptomata*, quae ex supra propositis signis diagnosticis satis superque patent. Sunt videlicet: anxietas pectoris et imprimis circa sternum dolor atque pressiones, cordis palpitatio, respiratio difficilis, lassitudo et corporis debilitas, pulsus ab initio durus in progressu vero debilis et celer, sensus in pectore calidus, in hypochondriis tensorius, <sup>n)</sup> concomitata febricula ab initio vix percipienda, progrediente vero morbo manifestum eius augmentum aegri sentiunt. Febris tamen haec non in omnibus statim ab initio se manifestat, praecipue vero tum, cum alio pulmonum vitio, vt vomica, Haemoptysis superuenit. Quo maior autem atque frequentior sanguinis effusio eo plura eoque peiora prodeunt symptomata. Sequuntur sudores colliquatiui, dum liber sanguinis per pulmones transitus, simulque sanguis venosus ab extremitatibus redux impeditur, vasa itaque in his locis vrgentur, et sudores, lecti imprimis tempore, dum fouetur totius corporis externa superficies, conspicui, haud sine summa virium iactura, aegrum vexant; accedunt cordis palpitatio, animi deliquia, deliria, somnolentia, quae infausi certe ominis, morbo, vitaeque plerumque finem imponunt scenamque claudunt. Reliqua, quae ad *Symptomata* adhuc referuntur, vehementer sunt ambigua, et pro certo assumi nequeunt, quippe modo adsunt, modo deficiunt.

*Progno-*

motus humorum directione ac incongrua  
resistentiarum ratione nascitur, collatis-  
que adeo facile explicatur.

<sup>m)</sup> L'art des accouchements. Paris  
1766. <sup>n)</sup> Conf. Vogel Praelection. de  
cognosc. et cur. C. H. affect. p. 209.

*Prognosis.*

*Haemoptysis Prognosis* ex ipsius morbi conditione, causis ac symptomatibus est formanda, nec non respiciendum ad aetatem et totius corporis habitum atque constitutionem. Quo enim frequentior vehementiorque Haemoptysis redit, quo breuiora interualla, quo pluribus grauioribusque symptomatibus est stipata, tanto maius periculum tantoque luctuosiore exitum portendit. \*) Attendendum porro est ad Haemoptysis speciem, vtrum a ruptura, an erosione, an ex anastomosi, proueniat? Periculosior certe, si a prioribus oritur, Haemoptysis iudicatur, quamuis, qui ex hac aegrotant, periculo quoque non prorsus vacent. Vnde *Klein* <sup>p)</sup>) affirmat: si a pulmonum erosione Haemoptysis nascitur, nullus medicinae locus, a causa vero violenta inducta, solidis ac fluidis corporis partibus ceterum bene constitutis, Haemoptysis curatu est facilius. \*\*) Diuersa quoque prognosis formanda est, pro varia sexus, aetatis, causarum aliarumque circumstantiarum diuersitate. Iunioribus atque delicatulis boni haud multum praesagit, ob laxiorem teneramque pulmonum compagem, qui sanguinis impetum corde expulsi, ferre nequeunt, ruptis erosivae vasis, sanguis, vel in ipsam pulmonum substantiam, vel in thoracis cauum, effusus, stagnat, stagnando putrescit, inflammationem, suppurationem producit, sua acrimonia vicina omnia consumit, et vel in pleuritidem veram, peripneumoniam, pleuropneumoniam, et in phthisin pulmonalem degenerat, vel denique re-  
petita atque grauiori reiectione, aegrum suffocat.

*Saepe tulit celerem prorumpens purpura mortem,  
Vitaque praeclusis aura pulmonibus exit.*

Vomi-

o) Conf. *Klein* Interpres Clinicus Ed. Halleri p. 119 dicens: nisi intra triuuum compescatur, Haemoptysis, malum.  
p) l. c. p. 120.

q) Conf. *Barry*. Treatise on the three different digestions and discharges of their principal organs. p. 386.



Vomicam in pulmonibus factam fuisse, suspicamur, si cessante Haemoptysi febris adhuc subgliscit atque tussicula perdurat sicca, si in imo pectore pressionem obtusam aeger sentit, genae rubent, et in vola manuum calor ingens percipitur. Tussis autem haec Haemoptysin frequenter consecutura, oriri videtur, a grumis sanguinis in pulmonibus adhuc haerentibus, quibus pulmones vi sua irritabili, afficiuntur. Phthisin contra metuimus, si sanguini puris eiectione succedit, vnde *Aretaeus* \*) simpliciter dicit: Iuvenes ad consistentem vsque aetatem phthisicos fieri, post sanguinis sputum. In febribus ardentibus Haemoptysis plerumque est lethalis, \*) impetus enim sanguinis est celerrimus, ruptis vasibus, sanguis ad locum adfectum propellitur, hincque nulla fere consolidationis spes superest. Testem hic allego *Hippocratem* \*) inquietem: Ὅσοι αἷμα ἐμέσπιν, ἢν μὲν ἀνευ πυρετοῦ, σωτήριον. In morbis venereis, de Haemoptysi iudicium vehementer est ambiguum. Primo enim morbi venerei haud raro Haemoptysi ansam praebent, vt supra indicauimus. Dein mercurialia, quae ad morbos syphiliticos curandos necessario requiruntur, vasorum consolidationem magis impediunt, quam promouent, atque effectum plane contrarium ostendunt, laesionum itaque restitutio, quam difficilis in iisdem fit, facile perspicitur. Haemoptysis, quae in ultimo morbi stadio phthisicis superuenit, mortem vtplurimum praesentem indicat; pulmones enim sunt ita labefactati, vt plenaria curatio amplius speranda non sit, hinc suffocatione eiusmodi aegroti plerumque pereunt. Idem de Haemoptysi in variolis fatetur *Sydenhamus*, \*\*) qui nullo modo has haemorrhagias sistere potuit, hincque habuit pro certissimo mortis signo. Hic quoque

\*) de Caus. et Sign. Morb. Diuturnor. Lib. I. Cap. VIII. p. 36.

\*) Conf. *Quarin*. Method. medendi februm Vol. I. pag. 20. monens: si sanguinis sputum, rel. accedant, summa morbi lethalitas.

\*) Aphor. Sect. 7. p. 154.

\*\*) Oper. Medic. T. I. p. 85. Ed. Geneo. 1757. 4. Conf. etiam *Rosenstein* in libro Anweisung zur Kenntniss und Cur der Kinderkrankheiten 1781. p. 302. It. *Quarin* l. m. c. Cap. VIII. p. 93.

que allegandum est, quod *Leuret* \*) in Haemoptysi puerperarum cum pleuride coniuncta, obseruauit; clamitans: paucis plerumque diebus vel in pulmonum suppurationem, vel in phthisin transire. Maior autem curationis spes affulget, si dolores haud graues, et sanguis minori quantitate eiicitur, si transpiratio modica et aequalis, Haemoptysi cessante, sequitur, si pectus liberum, nec tussis, nec febris perdurant; necesse tamen est, ut quanto citius obex ei ponatur, ne repetitis vicibus exitialis tandem fiat. Quod si vero dolores grauissimi, intolerabiles, punctorii, fixi, \*\*) si crebra et larga effusio, et pleno gurgite fit, si conuulsiones, singultus, raucedo, accedunt, extrema frigent, si respiratio laboriosior, febris subgliscit et sudores nocturni, plerumque funesta. At enim vero, affirmare itaque haud licet, Haemoptysin semper esse incurabilem, licet curatu difficilium censeatur vulnus pulmonibus inflictum, quam in externa corporis superficie, propter aerem perpetuo aduenientem atque continuam eorum expansionem, tamen, si mox ab initio, miseri, fidei medici se committunt, inprimis si effusio non nimis magna, nec diu durat, nec certo tempore redit, curationi adhuc fiducia habenda est, morbusque a prudenti medico tractatus, aequae certe subiugatur, ac alii permulti minus funesti aestimandi. Liceat mihi hoc proprio meo exemplo illustrare: Quum in aetate iuniori ipsemet Haemoptysi male vexatus eram, ita, ut omnes fere existimauerint, phthisin esse ineuitabilem, simulque de curatione desperarent. Nunc vero, iuuante Deo, medicorumque peritissimorum consilio, adeo conualui, ut nullas amplius molestias ac perturbationes verear. Plures insuper noui homines, qui morbo superato feliciterque curato, vegeta fruebantur sanitate, ac vitam suam omni metu expertem, degebant; nec non eiusmodi, qui Haemoptysi per multos annos periodica laborarunt, sine vilo phthiseos signo, vidi; \*\*) nec femi-

D 2

nas,

\*) l. l. §. 887.

y) *Vogel* l. l. p. 210. §. 271.z) Notabilem casum refert *Albrecht* in *Nou. Act. Phys. Med. Acad. Caesar. Leopold.*



nas, quibus simul cum catameniis, sanguis e pulmonibus et digitorum adeo apicibus \*) prodiit, sine vlllo sanitatis suspensio, ignoro. Haec itaque luculenter ostendunt, haemoptoicos omnes morti addici non posse, <sup>b)</sup> attamen prudenter omnique sollicitudine, ne morbus exasperetur, inque phthisin degeneret, tractandos esse. Licet autem theoretici non nulli existimant, pulmonum laesiones, propter perpetuam dilatationem atque contractionem, vel plane non, vel difficillime saltem, posse curari; quotidiana tamen experientia atque compluribus virorum fide dignissimorum hac de re obseruationibus, nec non testimoniis luculentissimis, ita sumus persuasi, vt iudicemus: pulmonum laesiones <sup>c)</sup> aequae facile imo forsân facilius, quam aliorum viscerum laesiones, posse curari; hoc etiam probant duella atque militum bello vulneratorum nosocomia, pluraque alia.

*De Curatione in genere.*

Consideratis iam ordine prioribus indicantibus ad Haemoptysin requisitis, sequitur denique, vt, qua ratione ipsa cura sit inchoanda ac perficienda, dicatur. Morbus autem hicce, nisi omnia nos fallunt, tamen periculosus valdeque suspectus, imo ex omnibus

Leopold Carol. Natur. Curios. T. I. p. 1. Item *Tulpius* L. II. Cap. XI. qui pictorem vidit, ultra triginta annos sanguinem expectorantem, salua tamen sanitate. Item *Fr. Hoffmannus* l. c. pag. 36. testimonia dedit fide digna, quae hoc confirmandum legi merentur. et p. 49 exemplum commemorauit, feminae cuiusdam, quae, quotiescunque fuit menstruata, simul cum catameniis quinque vel sex dies sanguinem pulmonibus eiecit, idque per nouem annos continuos, sine vlllo incommodo ac sanitate detrimento. It. *Büchnerus* in A. N. C. Vol. IV. Obs. 117. mentionem fecit.

a) Conf. *Mercatus* de Mulier. affect.

L. I. Cap. I. p. 469. It. *Lusitanus Opera Tom. II. p. 494.* vbi eiusmodi exempla recensentur.

b) Hic nobis quoque aridet sententia *Vogelii* l. c. § 271. vbi distincte dicit: Opinione vulgarem, quod Haemoptysin expertis phthisi perire, necesse sit, prorsus esse falsam.

c) Conf. *Fothergill* Med. Obsera. and Inquir. Vol. V. pag. 345 seq. It. *Samml. für Pract. Aerzte* Vol. III. pag. 464 Cum in antecedentibus de phthisi pulmonali disputat, ita pergit: Ueberhaupt haben wir, wenn wir den zarten Bau der Lungen, die Menge der Gefaesse, aus denen  
sie

omnibus haemorrhagiis facile periculosissima est, <sup>d)</sup> summam hinc medici prudentiam requirit, non solum in medicamentorum selectu, verum etiam in eorundem propinatione cautionis nunquam fatis adhiberi potest; ne, dum exiguum forte malum curat, aliud et multo maius vitium committat, grauioremque morbum producat et tandem aegros exanimet. Quemadmodum vero auctores in morborum cura multum discrepant, ita etiam in methodo Haemoptysin curandi diuersae sunt practicatorum opiniones. Quidam enim Clarissimorum medicorum celebrant, quod alii damnant; verum vero sit specificum quoddam vniuersale, quod non solum Haemoptysi, verum etiam reliquis pectoris morbis, tuto possit opponi, eosque radicitus et sine omni fraude curare? — — Magnus quidem, a prima fere artis nostrae periodo, fuit numerus, qui de arcanis et medicamentis vniuersalibus iactare acriterque contenderunt, panacearum vsu non solum omnes quoscumque morbos posse curari; verum etiam consuetos vitae terminos transgredi, vitamque in mille fere annos protrahere, imo ex ipsis orci faucibus eripi, homines posse. <sup>e)</sup> Neque nostro demum aevo huiusmodi remediorum iactatores defunt, qui medicamenta vniuersalia altissime celebrant iisque valde sunt pa-

D 3

troci-

sie bestehen; ihren wichtigen Nutzen, die vielen Zufälle, denen sie unterworfen sind, und ihre Unempfindlichkeit gegen Verletzungen, woran sie andre Theile weit übertreffen, betrachten, Ursache uns zu wundern, daß nicht weit mehr Menschen an der Lungensucht sterben.

<sup>d)</sup> Vt *Fr. Hoffmannus* Syst. Med. Rat. T. IV. P. II. p. 36 profitetur; inquit: Id vero omnino certum, ex omnibus, quae praeter naturam accidunt Haemorrhagiis, vix vllam esse frequentiore non modo et saepius redeuntem, sed etiam magis ancipitem et periculosam, quam Haemoptysin.

<sup>e)</sup> Verissime iam monuit *Stenzel*: ab eo tempore, quo, cum numero morborum aucto, aucta fuit remediorum, his sanandis dicatorum farrago, multi etiam reperti sunt, qui de sua magis, quam aegrotorum salute, solliciti, arcana, insignibus et stupendis vt dicunt, praedita viribus, illico oppuliantia, fallacissime venditarunt, et ostentarunt. Vid. *Ei. Progr. de ita dictis Medicorum arcanis. Viteberg. 1741. pag. 1.* Idem argumentum sedulo pertractauit *Vogel*, in singulari dissertatione: De vanitate remediorum vniuersalium. Vid. *ei. Opusc. Med. select. p. 115.*



trocinati. Leguntur adeo et in nouellis publicis quotidie de specificis variis, quae diuersis nominibus insignata, vnum tamen eundemque effectum praebent, et in omnibus fere Europae regionibus insigni pretio venduntur, dum eorum virtutes summis laudibus in coelum vsque extolluntur, commendantur atque in prodigium trahuntur, adiunctis saepe miraculis miratu dignis, <sup>f)</sup> sed quis quaeso est, qui non statim intelligat, eiusmodi specifica atque medicamenta vniuersalia plus nocere, quam iuuare? vt in prouerbio dicitur: quod omnia praestat, neutrum praestat. Licet etiam aliquando virtutes quasdam praestitisse, obseruatum fuit, nullae certe fuerunt, nisi palliativae, ad quam tamen curationem practicatorum nemo confugit, nisi tum, cum nulla amplius curationis practicalis spes adest. Quod si praeter ea ad morborum originem respiciamus, adparet, eundem morbum saepe ex varia causa in variis subiectis oriri, varia igitur medendi methodo, pro varia causarum ratione, opus esse, nemo vnquam dubitabit. Reicienda igitur merito ac plane negligenda sunt haec specifica, et propter ambiguas et praesertim propter nociuas virtutes, quae quotidie occurrunt; et, si mortui dicere possent, nobiscum procul dubio consentirent, vt viam sibi panacearum vsu ad mortem praematuram, adperuissent. Detectis denique magno saepe opere arcanis, chemicis inprimis encheiribus, vel veteres iam multa eorum, quae falso nomine arcana vocabant, praecipisse, vel adeo venena aut drastica potentissima contineri, inuentum fuit. Hinc colligi sat potest, medicastris atque circumforaneis eiusmodi, nec sapientiam, nec generis humani felicitatem curae cordique esse, sed potius aurum. Praeter haec vero alia adhuc remedia

f) Ex mille arcanis, quae vel in actis publicis, vel in recensitionibus quotidie occurrunt, vnicum tantum attingam, nimirum puluerem *Ailhandi*, qui vi, omnes quoscunque morbos suffocandi, pollere

dicitur. Eruditissime de eo iudicauit *Fritz* in *Med. Anal.* Vol. I. pag. 316. vbi quoque de lethali effectu, eiusdem pulueris in *Haemoptysi*, terribile exemplum notauit.





dia in scriptis veterum reperiuntur, quae iam praemittenda esse, arbitramur, antequam de curatione in specie disputemus. Alii enim Haemoptysin sola sympathia curare voluerunt; vnde legimus apud varios auctores, de virtute pulueris sympathetici, <sup>g)</sup> cuius drachmam vnam alteramue in sanguinem eiectum adhuc calidum conspergunt, spatula lignea continua agitatione miscent, hancque miscelam loco temperato sollicitè seruant; quo facto, sanguinis eiectionem sedari reditumque eius impediri, sibi persuadent. Alii salutare arbitrati sunt, sanguinem eiectum calidum colligi ignique imponi debere, donec efferuescere incipiat, quibus etiam sanguinis impetus minui vehementissimaque eiectione sisti possit. Alii asseruerunt, sanguine ferro candente superfuso, Haemoptoën posse curari. Eiusmodi plura, praeter hucusque commemorata facile possent allegari, <sup>h)</sup> sed haec nominasse, sufficiat, vt modo adpareat, quantum in Haemoptysis curatione maiores nostri superstitioni, vanisque auxiliis tribuerint, quantaque, cum ad sanitatem tuendam, tum ad morbos pellendos, horum maiorum, apud antiquos adeo medicos fuerit auctoritas. Cum vero his temporibus, institutis medicorum obseruationibus, efficaciora remedia, quae egregiam in Haemoptysi curanda praestant opem, detecta fuerint, speramus, fore sane medicorum neminem, qui eiusmodi anilia remedia, nec rationi nec experientiae consentanea, in usum hodie vocet. Nolumus igitur hisce ridiculis diutius immorari, ne a recto tramite nimis deflectamur. Vt vero redeamus, quo sumus digressi, ante omnia medico, cui cum talibus aegrotis res est, locum adfectum esse explorandum, causas-

<sup>g)</sup> Puluis hic paratur ex Vitriolo, quod solis aestu calcinatur, donec in puluerem fatiscit. Vid. *Blankardij* Lexicon Med. Ed. *Iensenflammi* pag. 1203.

<sup>h)</sup> Possemus adhuc recensere: pulmones vulpis, mandibula luci, coralla rubra, of-

sa sepiae, haematitem, e. f. p. sed cui lucidis hisce temporibus perspicere adhuc difficile sit; eiusmodi corpora, quae medicamentorum nomen nequaquam merentur, non solum in primis viis vim medicatricem habere plane nullam, nedum ad secundas posse transire?



causasque inquirendas, quibus Haemoptysis excitata fuerit, arbitramur, ut indicationes suas cuique speciei aptas exinde possit formare. Ab ἀναστόμιση Haemoptysis facta, faciliorem admittere videtur curationem, solaque venae sectione plerumque omnem punctum hic absoluitur, sanguinis eiectione sedatur, nimia vasorum plenitudo minuitur, eiusque impetus euidenti ratione compefitur. Ab erosionibus autem et vasorum rupturis, curatio videtur longe difficilior, <sup>1)</sup> propterea, quod sanguinis extravasati copia in pectore maior, effusio plerumque fortior, atque maius certe periculum metuendum est, si sanguis vel in pectoris cauum, vel in pulmonum substantiam largiori copia effunditur, exire nequit, extra vasa quiescens stagnat, putrescit et vlcus pulmonale gignit; vlcera vero his erosionibus producta, facile inprimis in iunioribus fiunt incurabilia, phthisinque pulmonalem saepe relinquunt. Haec satis praefata sunt de Cura in genere; iam accuratius adhuc indicandus est curandi modus. Cum vero specificis, ut superius dictum fuit, ad hunc morbum debellandum careamus, curandi methodum aduersus causas Haemoptysin producentes, dirigere cogimur. Cardo autem Haemoptysis curationis in eo potissimum versatur; nimirum primo: in sanguinis circuitu imminutione et a pulmonibus deriuatione; facta autem imminutione inprimis conducunt medicamenta ea, quae pulmonum inflammationem impediunt, quae sanguinis effusi resolutionem et vasorum denique consolidationem conciliant. Hoc fieri potest; partim: per remedia externa, partim etiam medicamentis internis, quibus denique adiungendum aptum aegrorum regimen. De his nunc in sequentibus speciatim.

*De remediis externis.*

Inter omnia, quae ad Haemoptysin pacandam atque sanguinis impetum compescendum, adhibentur remedia, venae sectione  
prae-

<sup>1)</sup> Hoc iam obseruauit *Hippocrates* in Lib. I. de Morbis. Sect. V. p. 436. *Ed. Foesii.* 8vo.

praestantius esse nullum, cuique satis superque patere, arbitramur. Euacuantur nimirum phlebotomia vasa subito, cum e contrario medicamentis internis, refrigerantibus ac adstringentibus folis subpressa, eiectio ad tempus modo fiet, mox redit miserumque in eundem morbum coniicit. Praestat igitur venae sectio ad effluuium sedandum, inflammationem coercendam, sanguinis molem et impetum diminuendum, quam plurimum, hinc quantocyus venae sectio instituitur, eo certe exoptatior effectus expectandus est, imprimis in haemorrhagiis vehementioribus ac frequentioribus, ab interitu miserum vix sumus liberaturi, nisi larga instituta venae sectione. Quodsi vero prima missione effluuium haud sedatur, si pulsus plenus, durus, celer, si palpitatio cordis, si dolor in pectore fixus, si vitae vires plus iusto vigent, si iuuenis et quidem robustus, nec non plethoricus, audacter repetenda est, quorum plura adsunt exempla in medicorum monumentis, de vtilitate venae sectionis iteratae. <sup>k)</sup> Affirmamus itaque venae sectionem optimum efficacissimumque esse remedium, quod reliquis omnibus palmam praeripit. Quis igitur huic diuino remedio non faueat? Lubentissime autem largimur, ea, quae modo disputauimus, non nisi congrua limitatione intelligenda esse; ponderatis nimirum accurate indicantibus, nec non contraindicantibus bene consideratis, interdum, licet rarissime nec necessariam nec proficuum esse venae sectionem, atque errores leues hic facile committi posse, videmus, <sup>l)</sup> v. c. si corporis habitus tenerr-

<sup>k)</sup> Vid. Exempl. in Samml. für Pract. Aerzte Vol. II. S. IV. p. 120. de quinque repetita venae sectione in tormentario, Haemoptysi adhaerente. It. *Lieutaud* l. c. pag. 172 dicit: tres aut quatuor sanguinis missiones, infortunis, a nimia sanguinis copia ortis, praecauendis, esse necessarias. et *L. D. H.* in *Nou. Patho-*

*logiae delineatione*: terdecies posse repeti venae sectionem in Haemoptoicis, adeo asserit. It. *de Ham* *Rat. Med.* Vol. X. p. 300.

<sup>l)</sup> Venae sectionem, si praeter rem repetatur, nocere posse, asserit quoque *Fogel* l. c. p. 212.



tenerimus, imbecillitas summa, nec sanguinis copiosissima eie-  
ctio, nec vasa nimia plenitudine laborant, si pulsus vix perci-  
piendus, extrema frigent, nec inflammatoriae indolis est, a phle-  
botomia abstinendum, ne sanguinis detracti copia virium iactu-  
ra augeatur. Ita etiam salutis parum efficeretur venae sectione,  
si corpus aliquod peregrinum in parte affecta haerens, impedit,  
quo minus fieri possit vasorum disruptorum contractio. In prio-  
ri vero casu, vbi indicantia venae sectionem vrgent, nullum par  
sibi habet praesidium. Quod vero locum attinet, vbi vena  
secatur, coram iudice adhuc lis est. Non nulli enim venae se-  
ctionem in brachio institutam, eae, quae fit in pede, praefe-  
runt; alii vero contrarium statuunt, vt nimirum ad phleboto-  
miam instituendam partes a pulmonibus remotissimae essent eli-  
gendae, quo sanguis eo melius a pulmonibus abduci, sistique  
possit effluxus, quod etiam, si iudicare liceat, nos affirmaremus.  
Nec inutilem opem in Haemoptysi pacanda, praestat aquae frigi-  
dae vsus externus, quae linteis quadruplicatis pectori admouetur,  
cuius effectus salutes inter recentiores obseruauit *Renard.* <sup>m)</sup>  
Commendamus autem haec epitemata frigida duplici ex causa;  
primo enim negari nequit, valis relaxatis amissum robur eorun-  
dem adplicatione posse restitui haud parum; alterum cur se in  
primis nobis commendat aqua frigida, est ipsa sanguinis a pul-  
monibus fauciatas deriuatio. Praestat igitur aqua frigida miseris  
Haemoptysi decumbentibus vtrumque, reditum nimirum impedit  
simulque ipsum viscus roborat. Ad remedia externa quoque  
pertinent ea, quae salubria naturae molimina promouent. Sic  
v. c. non nunquam de Haemoptysi conqueruntur, qui haemor-  
rhoidibus obstructis laborant; iis autem reuocari debet fluxus  
haemorrhoidalis, vel hirudinibus ano et haemorrhoidibus tumi-  
dis adplicatis, <sup>n)</sup> vel etiam vaporariis. Idem fieri debet in iis, qui  
hae-

<sup>m)</sup> Vid. Roux Journal de Medecine  
Tom. XXXV. Paris 1771.

<sup>n)</sup> Conf. Praeger Diss. de Haemorrhoi-  
dam fluxu nunc salutari, nunc autem no-  
xio.

haemorrhagia narium laborarunt, vt *Benedictus* \*) notabili testatur exemplo: Iuuenis, inquit, ab anno decimo sexto ad vigesimum quintum vsque, ope narium haemorrhagiae, incussa fruebatur valetudine. Sub finem veris et per totam fere aestatem, semel aut bis quotidie vncia vna aut altera sanguinis per nares exiit. Vigesimo quinto aetatis anno narium haemorrhagia, frigefacto capite cessauit. Mox pectus obpleri incepit, successit Haemoptoë et cetera ingruentis tabis signa. Venae sectio parum profuit; sed postquam rediit narium haemorrhagia copiosior, pectus liberatum est, et tanto periculo ereptus, mansit superstes, sine manifesto valetudinis suspensio. Locum porro haud infimum merentur: vesicatoria, p) fetacea atque fonticuli, quae tunc inprimis applicanda sunt, vbi post sanguinis sputum pus excernitur, et quidem eam ob causam, quod spasmos tollunt, inflammationem coercent, humores noxios loco adfecto abducunt et ad eum locum vbi applicantur, alliciunt. Hic tangere videtur locus ille apud *Hildanum*, q) ita nimirum disputat: matrona nobilis per aliquot annos destillatione ad pectus laborauerat, variisque remediis vsa fuerat exiguo cum fructu, tandem non solum materiae purulentae copiam, verum etiam sanguinem exspuit, et in hecticam cum

E 2

totius

xio. Viteb. 1764. p. 24. dicit nimirum: Quodsi vero praeter spem opinionemque his, haemorrhoides adperiendae non essent, remedia inter omnia hirudinibus praestantius, effectumque suum exercens celerius, ac maiori laude dignius, reperimus nihil, vna vel altera tumentibus haemorrhoidibus adplicata, vbiunque tumet et dolet cet. Item *Schmucker* in Chirurg. Schrift. P. I. p. 105 affirmat: se in Haemoptysi tum a subpressis menstruis, tum haemorrhoidibus, excitata, summo cum fructu aegrorumque salute, adhibuisse hirudines,

o) *Theatr. Tabid.* p. 14—15.

p) *Conf. Selle* *Medicina Clinica.* pag. 147. et *Stoll.* l. c. p. 24. vocitans: En Haemoptoën vesicante compressam!

q) *Obseru. Chirurg.* Cent. III. *Obseru. XXXVIII.* pag. 220. Seraceorum efficaciam clare exposuit *Brendel* in singulari Dissertatione, quae continetur in ipsius *Opusculis Mathematicis et Medicis, a Wrisbergio editis.* Götting. 1769. Vol. III. p. 111. Diss. 29. De Phthiase Hepticaeque discrimine et seraceorum vtrouique vsu. Vbi p. 135 sic disputat: Vitulissima hic erunt fetacea ad collum. Subinde



totius corporis extenuatione et virium prostratione incidit. Congrua quidem remedia se adhibuisse dicit, sed setaceo nuchae applicato breui fuit restituta, ita, vt aliquot proles postea pepererit, cum antea per aliquot annos vtero non gestasset. Praeter memorata auxilia, vesicatoria ac setacea, spirandi difficultatem egregie tollunt, et resolutionem sanguinis grumosi promouent, vnde haud exiguam sane laudem merentur. Quod si vero sanguis in pectoris cauum effusus, acrior fit, vel in pulmonibus vlcus producit; pus, in cauitate pectoris collectum ad euacuationem disponendum est, ne aeger suffocetur. Eo in casu a recentioribus imprimis medicis commendatur paracentesis, \*) tanquam vnicum remedium, quo aeger adhuc possit seruari. Paracentesis autem in eo latere instituenda est, vbi maxima materiei fluctuatio, et quaedam integumentorum eleuatio, dolor ac rubor percipitur, summa tamen cum cautione, ne laedantur arteriae intercostales et haemorrhagia lethalis excitetur. Ex his itaque adparet, paracentesin ibi tantum esse instituendam, quando vel ipse sanguis in pectoris cauum effundatur, vel si vlcus in externa pulmonum superficie haereat, vel per eam sibi viam ad cauum pectoris adperiat. Quid autem faciendum, si praegressa Haemoptysi, in interna pulmonum substantia vlcus oriatur, et per os superius pus eiiciatur? Morbus, qui tunc chronicus factus, phthisis pulmonalis instar tractandus est, et vlcera sunt detergenda. Inter remedia externa, quae vlceribus pulmonum detergendis adhibentur,

inde minuitur cessatue sine causa manifesta suppuratio, sputumque puris, si iam illuc ventum est.

\*) Conf. *Boehmeri* Diff. de Paracenteseos vtilitate. Resp. *Bucholz*. Halae 1759. p. 22. perfolimus, ait, thoracem, vbi vel sanguis extravasatus eliminandus, vel disrupta vomica empyema constituit, neutquam vero in pulmonum exulceratione,

et inde enato empyemate spurio. Item *Coschwitz*. Diff. de Empyemate. Resp. *Gryffus*. Halae 1725. p. 21 vsque ad calcem. et *Quarin*. Method. Medendar. Inflammat. pag. 129. Pus bonum, inquit, quod crassum est, rarissime absorbetur, hinc alia via, nisi paracentesis, vix superest. Exempla eorum, qui instituta paracentesi conualuerunt, leguntur in *Samml.* für

tur, suffimigia imprimis sicca referenda sunt, \*) quae ab aegro in cubiculo firme clauso per aliquot septimanas hauriuntur. Hi autem suffitus praedicantur imprimis propter ea, quod citius medicamentis internis ad locum adfectum perueniunt, et purificationi, excretioni ac consolidationi inferuiunt manifesto. Supra enim iam ostentum fuit, quam euidentem particularum in aere volitantium, in pulmones effectus; quid igitur mirum? si aer nocuus atque venenatis particulis impraegnatus, lethales effectus producit, contrarii vero atque salutare effectus ex aere balsamicis et pulmonibus maxime conuenientibus particulis scatente, sequuntur. Ne vero aliquid praetermississe videamur, commemorabimus adhuc artuum ligaturam, quae apud medicos superioris aevi, in sistenda Haemoptysi, remedium erat quam vilitatissimum; \*\*) hodie vero, quippe quod eiusdem efficacia valde est exigua atque ambigua, merito negligitur. Exigua videtur propter ea, quod ad effluuium sanguinis sistendum rarissime sufficit, ideoque requiruntur efficaciora, quae maiorem habent vim sanguinis circuitum coercendi. Ambigua autem est, quod soluta

E 3

für. Pract. Aerzte. Vol. III. p. 148 et Vol. II. S. II. p. 56. It. in *Baion*. l. c. p. 79 et in *Schmucker* vermischte Chirurg. Schriften. Vol. I. p. 304.

s) Haec suffimigia parantur ex cera flaua depurata, cuius libra vna sicile immissa supra ignitabulum euaporatur, quotidie dein reiteratur et quauis septimana recens cera adhibetur. Non nulli etiam alia gummata et balsama, nimirum, Pini resinam, Myrrham, Succinum, Hyssopum, Calamum aromaticum et Antiseptica varia commendant, ea tamen, quae sola cera parantur, reliquis balsamicis sunt praeferenda, ob gratum et mitem halitum, quem spirant. Multi auctorum suffimigiorum mentionem faciunt, inter quos imprimis nominantur: *Benedictus* in Ve-

stibul. ad Theatr. Tabidor. Lond. 1656. *Bartholinus* in Hist. Anat. Cent. IV. Hist. 88. Lib. IV. Hafn. 1654. De pulmonum remediis, quomodo adhibenda. *Fuller* Pharmacop. Extempor. *Ed. Baron*. Par. 1768. *Fritz*. Med. Anal. Lips. 1781. Vol. I. p. 226. *Mead* Mém. et Praecept. Medic. Lond. 1751. *Morton* Journal de Medecin Octobr. 1777. p. 326. *Pringle* Observ. on the disease, of the army in camp and garnison. Lond. 1752. *Willis*. Pharm. Rational. P. II. Cap. 6. de Phthisi pulmonali. Hag. Com. 1675.

t) Conf. *Hippocrates* Lib. II. de Morb. Mulier. *Celsus* Lib. IV. Cap. IV. *Galenus* Lib. II. ad Glau. *Aretaeus* in Lib. II. de Morbis acutis.



ligatura saepe Haemoptysis denuo redit; accedunt denique varia incommoda, quae ex nimis constricta ligatura exoriuntur, parum igitur idonea censetur artuum ligatura. Ex iis igitur, quae in hac paragrapho disputauimus, patet; primo: venae sectionem efficacissimum esse remedium ad Haemoptysin pacandam, deinde, remedia, in Haemoptysi a subpressis haemorrhagiis orta, externe posse adhiberi, et denique quid faciendum, si praegressa Haemoptysi pulmonum vlcera nascantur, et quomodo ea tractanda sint. Sed veniamus iam ad medicamenta interna, quae sedata Haemoptysi vel ad sanguinis effusi resolutionem, vel ad vasorum disrutorum consolidationem, praescribuntur,

*De Medicamentis internis.*

Sedato iam effluuio, aliud curanti incumbit munus, vt nimirum morbi reditum praecaueat. Impeditur autem celebrata venae sectione, adstringentibus, temperantibus, demulcentibus, resoluentibus, antispasmodicis et roborantibus, vtpurimum, vnde methodus, quam dicunt antiphlogisticam, merito eligenda est.

a) Adstringentia non, nisi urgente necessitate, vbi nimirum haemorrhagia adhibitis aptis remediis nondum fiet, adhibentur. <sup>u)</sup> Conducunt autem inprimis acetum vini, propter vtrumque effectum quem praestat, adstringit nimirum simulque resoluit. Interne datur vel cum aqua, vel cum aliis ptisanis, remixtum; externe vero ad cataplasmata, quae pectori haud minori cum fructu imponuntur, adhibetur. In eundem finem interne propinatur spiritus vitrioli, cuius drachma vna in fatis magna

<sup>u)</sup> *Wintringham* Comment. de quibusdam morbis. Lond. 1782. § 124. qui dicit: nulla medicamenta, quae adstringendi vi polleant, propinanda esse Haemoptoicis, quibus ex aspera arteria lan-

guis provenit, cum cruoris in pulmonum substantiam haerentis resolutio, iisdem impeditur. Item *Klein* l. c. Nunquam inquit, ab adstringentibus medicamentis salutaris sequitur effectus.



magna aquae quantitate fumitur, vel elixir acidum *Halleri* cum aqua, nec non aliis mixturis atque syrupis maritatum. Adstringendo quoque agit alumen, \*) quod tamen propter ingratum et acrem saporem, rarius in usum vocatur; accedit aliud incommodum, quod cum reliquis adstringentibus, alumen adhuc commune habet, ut nimirum aluum facile constringat. Abstinemus itaque potius ab alumine, cum priora, nimirum acetum vini, spiritus vitrioli et quibus adiungi potest, acidum citri, et linguae grata videantur et efficaciora sint.

b) Temperantia quae plerumque praescribuntur, sunt: Nitrum, vel solum in puluere, vel cum cremore tartari aliisque temperantibus mistum. Datur etiam in electuario. \*) e. c. Recipe, nitri depurati vnciam semis, salis martis drachmam dimidiam, solue in aquae cinamomi sine vino vncia vna, et adde, conferruae rosarum vncias duas, misce, ut fiat electuarium, signetur omni hora cochlear minus vnum. Tartarus tartarizatus et liquor terrae foliatae tartari, praeter virtutem temperantem, quam possident, humores coagulatos resoluendi vi pollent, nec non alui tarditatem tollunt. Experientia quoque teste laudatur spiritus frumenti nitro saturatus, \*\*) cuius efficaciam vno tantum exemplo illustrabimus. Vir quadraginta circiter annorum, bis de die, mane nimirum ac vesperi, sanguinem cum pure eiecit tussique vehementer vexatus, medicorum consilio, sine omni tamen fructu usus est. Venae sectio repetita et omnia sanguinem sistentia remedia nil profuerunt. Spiritum denique frumenti nitro saturatum hausit, et subito inde Haemoptysi liberatus, pristinam sanitatem consecutus est.

c) De-

\*) De Alumine ait *Cullen* in *Materia Medica* p. 189. eum in Haemoptysi esse nocivum; et pag. 182 vomitus, adhibito alumine, haud raro excitari

y) Vid. *Dikson* in *Medical Observ. and*

*Inquir. by a Soc. of Physic in London.* Vol. IV.

z) *Conf. Nou. Act. Reg. Scient. Vpsal.* Vol. I. pag. 109. Laudatur quoque a *Selle* in *Med. Clinica.* p. 528.



c) Demulcentibus adnumeramus oleum lini <sup>a)</sup> recenter expressum, eiusque virtutem salutarem tam in omnibus haemorrhagiis, quam in Haemoptysi laudamus. <sup>b)</sup> Neque minus infusum feminum lini, <sup>c)</sup> et decoctum symphyti s. consolidae maioris *Linn.* <sup>d)</sup> quod apud veteres in Haemoptysi curanda multum valet, ob mucilaginem, quam in se magna copia continet, hodie autem eius usus in desuetudinem fere abiit; vsurpatur potius decoctum lichenis Islandici maiori cum fructu. His etiam demulcentibus interponenda vel associanda sunt leniora purgantia, vt tamarindinacea, rhabarbarina, mannata et decocta lubricantia, nec minoris efficaciae sunt enemata emollientia, praesertim in primo morbi stadio, vt alius aperta teneatur. Nec reiiciendae sunt emulsiones ex feminibus lactescentibus, vt amygdalis dulcibus, feminibus papaueris albi et cucumeris, paratae, quorum vncia vna cum aqua communi vel hordei decocto, in emulsionem redigitur, collaturae librae vnae adduntur: nitri depurati drachmae duae, sacchari albissimi, aut syrapi papaueris albi, vel diacodii montani, vel altheae vnciae duae. Huius emulsionis aegris quauis hora propinatur cochlear magnum. Item, emulsiones, quae ex gummate arabico parantur, eodem modo eademque vtilitate adhibentur. Demulcentia autem inprimis praescribuntur, si Haemoptysis ab erosione excitata fuerit; vnde etiam decoctum

a) Vid. *Lieutaud* l. c. p. 183.

b) Hac de re legendi sunt *Etmüller*, vid. *Allen* *Synops.* vniuers. med. pract. p. 196. Oleum lini cochlearina sumtum, mira praestat, aiens. et *Vuzer* in *Arzt* Vol. X. p. 416. qui, inter efficacissima ad Haemoptysin pacandam, remedia, oleum lini esse referendum, inquit, cuius coesae vascula quotidie tria possunt deglutiiri; nec eiusdem efficaciam in enemate negat. Duo tamen obseruanda sunt, circa huius olei usum; primum: gustus, qui plurimis displicet et non solum nauileam,

sed in non vullis adeo vomitum ipsum ciet. Dein, vbi morbus iam ita persistit, vt diarrhoea chronica successerit, excretionem aluinam auget, et pulmonum suppurationem magis promouet, quam compescit, hinc facile intelligitur, praesente frequentiori alui deiectione, illud non praescribendum esse.

c) *Linne* *Vollstaend. Pflanz. Syst.* Vol. VI. p. 249.

d) *Conf. Dioscorides* *Mat. Med.* L. 4. Cap. 10. It. *Linne* *Flor. Succic.* p. 59.

coctum altheae, bardanae, graminis, hordei, gummatis arabici, cornu cerui raspati et f. p. haud minori cum fructu in vsum possunt vocari.

d) Resolutio sanguinis coagulati, quae in Haemoptysis curatione concilianda est, per ea, quae in antecedentibus indicauimus, plerumque absoluitur. Non nulli etiam infusum florum arnicae montanae, e) resoluendi causa, suadent, at enim vero nostro ex arbitrio in Haemoptoe eiusdem vsus plane euitandus est. f) Neminem enim latet, infusum arnicae, sanguinem coagulatum potenter resolueret; vereor tamen, ne propter vim nimiam calefacientem exaestuansque et suam agendi potentiam, damnum reducat. g) Vomitoria, h) in minutissima dosi propinata, virtute quoque resoluente pollent et antispasmodica, propinanda tamen non sunt, nisi tum, cum vel primae viae viscido et pulmones pituita sunt repleti; i) vel si corpora peregrina in asperam arteriam

e) Vid. Murray Appar. Medicam. P. I. pag. 159. Ludwig. l. c. § 391. et Vogel l. c. § 273.

f) Pharmac. Rational. nou. Ed. p. 13.

g) Conf. Theden Neue Bemerk. und Erfabr. zur Bereicherung der Wundarz. und Arzn. Gel. P. 2. Cap. 13. pag. 119. vbi casum refert militis, qui vomitu cruento laborabat. Ordinabantur decoctum florum arnicae, acetum vini, salia media, pediluuia tepida et enemata; quibus propinatis aeger, qui antea semel per diem sanguinem euomit, iam ter eum eiecit. Cum vero nec acetum nec reliqua coordinata ad effluuium augendum contulisse quidquam videantur, soli arnicae decocto crebriorem sanguinis effusionem tribuendam esse, suspicamur.

h) Inter auctores, qui vomitoriorum utilitatem in Haemoptysi probant; sunt

Robinson in Observ. on the virtues and operations of Med. pag. 156. Donald Monro in Praelect. Med. p. 117. Simmons in Practical Observ. on the treatment of Consumptions. Selle l. c. p. 148. Vogel. l. l. §. 272. et Macbrida Method. introduct. on the theory and practice of Physic Lond. 1772.

i) Tale exemplum commemoravit Fritze l. c. p. 176. de virgine quadam Haemoptysi periodica simul cum vomitionibus ex febre rheumatica, laborante. Efficacissima medicamenta adhibuit, quibus vero neque vomitus, neque Haemoptysis siluit, propinato denique emetico, multum pituitae aegra euomit, atque inde Haemoptysi fuit liberata. Gesnerus etiam in l. c. Vol. II. pag. 235 affirmat, se nunquam a vomitionibus Haemoptysin augeri, vidisse. It. Stoll. Rat. Medend. Vol. III. pag. 26. discrete de Haemoptysi agens,

R



arteriam delapsa haemorrhagiae subministrant, <sup>k)</sup> vt eiusmodi corpora facta concussionem sursum possint expelli. Resolutionis causa quoque adhibetur tinctura pimpinellae albae, cuius pars vna tribus oxymellis scillitici partibus admiscetur aegrisque aliquoties per diem propinatur. Eodem cum fructu secundum recentiorum experientiam exhibetur semen phellandrii aquatici, <sup>l)</sup> vel solum in pulueris forma, aut in electuario, vel cum cortice peruuiano coniunctum, quotidie a drachmis duabus ad unciam dimidiam; nec non in decocto cum lacte aut aqua simplici. De medicamentis bechicis calidioribus, quae apud superioris aetatis medicos primaria erant auxilia atque refugia, et quibus in Haemoptysi curanda magnam vim facultatemque tribuebant, iam nihil dicendum est. Satis enim notum est, quam raro effectus eorum expectationi respondit, et quam pauci ex eo morbo, quem iam perlustramus, tunc temporis conualuerunt; iuuare enim his medicaminibus putabant resolutionem ac consolidationem, sed vehementer hisce salutaribus praesidiis decumbentes fraudabantur, dum viliora, si ita loqui fas est, medicamenta negligebant, et ad pretiosiora nec non delicata, quae in oculos nequidem cadunt, vel etiam palato magis arident, confugiebant. Fatendum igitur est bechicis calidioribus, nec in Haemoptysi pacanda, nec curanda, opus esse, duplici ex causa, primo enim effectum, quem ab iis postulant, vt nimirum vasorum consolidationem ob virtutem suam balsamicam, promoueant, nequaquam praestant, dein vero sanguinem exaestuuant et in organum coniciunt. Arbitramur

itaque

agens, experientia testatur: se vomitu, alioque motu, aegros plurimum recreasse, sanguinem cohibuisse, spiritumque praecipue liberiores effecisse.

k) Conf. *Morton* Phthisiolog. Lib. III. Cap. 6. p. 300.

l) Singularem libellum de virtute seminis phellandrii aquatici scripsit *Loe*

Abhandl über die heilsamen und höchst wunderbaren Wirkungen des Wasserfenchels bey verschiedenen Krankheiten des menschl. Körpers. Helmst. 1781. vbi p. 64 aliquot casus recenset, de efficacia horum feminum in Haemoptysi, et p. 23 dicit: mira praestare in sanguinis effusione tam in pulmonum substantiam, tam in eiectione ipsa.

itaque, fore nostro aevo practicorum neminem, qui in Haemoptysi curanda ad haec tam nociva atque funesta medicamenta impune confugiat.

e) Praedictis medicamentis associanda sunt antispasmodica, propter spasmos in Haemoptysi plerumque praesentes. Eligenda vero nobis inprimis ea videntur, quae non solum spasmos tollunt, sed etiam plures effectus simul praestant. Haec vis prae reliquis inesse videtur millefolio <sup>m)</sup> cuius infusum nec non extractum <sup>n)</sup> non solum solidorum tonum restituit, verum etiam spasmos euidenter tollit. Hic nobis quoque mentio facienda est de opio, cuius tamen vsus a non nullis haud infimi subsellii medicis, in dubium vocatur. Omnis autem disputatio de opio eo redit, vt nimirum alii dicant: minui circulum sanguinis, deglutito opio, alii vero: augeri eum, adfirment. <sup>o)</sup> Sat autem compertum est, opium maiori dosi deglutitum, humorum motum augere, nec plus hac de re dicendum opus est, cum centum, imo plures, de virtute et proprietatibus opii, auctores disputarunt. Quod vero opii vsum in Haemoptysi attinet, notandum est: praesente inflammatione de eo abstinendum esse, quod si vero spasms sit stipata, ob praestantiam ac efficaciam, quam inde obseruarunt Celeberrimi practici, propinari potest. <sup>p)</sup> Iis

F 2

inpri-

<sup>m)</sup> Journal de Medecin. Vol. 34. pag. 402. et Fr. Hoffmann Method. Medendi P. 312. vbi dicit: summe efficax in Haemoptysi est decoctum millefolii.

<sup>n)</sup> Pharm. Rational. pag. 171.

<sup>o)</sup> Licet Wirienſon, vid. ei. Diss. demonstrans, opium vires cordis debilitare et sanguinis motum augere. Harderouici 1775. existimat, augeri sanguinis motum et cordis vires debilitari, tamen dubitamus, quin sine cordis et vasorum stimulo excitato, possit fieri sanguinis motus celerior. Cum vero haec sententia a mul-

tis iam confutata sit, huic labori facile superfedemus.

<sup>p)</sup> De opio dicit Richter in Anfangsgründen der Wundarzn. P. I. p. 26. sumum esse antiphlogisticum remedium, propter ea, quod dolorem lenit, febris ac inflammationis causam mitigat et solidarum partium et animi motus irregulares mulcet. Item Krause Diss. de remediis haemorrhagiarum internarum p. 29. ait: mens denique sumpta dosi opii mediocri, mirifice afficitur, atque, cum antea sollicitudinibus metuque perturbata esset,



inprimis, qui ex nimia irritabilitate in morbum ipsum declinant, <sup>r)</sup> cum grauiori tussi vexantur, vel ad phthisin dispositi videntur, summum est leuamen. Vnde memoratu dignum esse, arbitramur, quod *Ludouici* <sup>r)</sup> de eo testatur; inquires: se continuato opii vsu, compluribus Haemoptysin remouisse. Neque minus ad corroborandam nostram sententiam pertinet *de Meza* <sup>r)</sup> testimonium, quod ex proprio suo exemplo reddidit; ait nimirum: se vltra viginti annos ad Haemoptysin praecauendam, nullum opio efficacius remedium, fuisse expertum. Huc vel maxime spectat, quod *Murray* <sup>r)</sup> in recensendis opii viribus, de eius vsu in Haemoptysi monet; locum habere, inquit, si ex spastica causa Haemoptysis ortum ducit, e contra, si ab aucto sanguinis motu oritur, valde nocium esse. Cum eo conuenit *Krause* <sup>r)</sup> pertactatis in antecedentibus mitioribus antispasmodicis, dicit: his nil proficientibus, aut quando in mora periculum est, substitui recte opium perite medentibus videtur. Nec dubitat *Ludwigius* <sup>r)</sup> quin leniora opiata in Haemoptysi pacanda, possint adhiberi, propter praesentes spasmos. Item, opiata in Haemoptysi per quam esse proficua, affirmat *Etmüllerus* <sup>r)</sup> pluresque alii, inter quos, vnicum adhuc allegamus, principem nimirum eorum, qui

esset, sedatur, spe erigitur, metumque ponit.

q) Solam irritabilitatem saepe esse causam *Haemoptysis*, clare docuit: *Weise*, in sua dissertatione de irritabilitate morborum generice, quae in delect. dissertat. medic. Ienens. Vol. I. p. 214. reperitur. Item spasmus cuiusdam partis, in alio ac remoto loco *Haemoptysin* potest eiere, vt modo nominatus in eadem Dissertatione pag. 234. exposuit; aens: ex spasmis infimi ventris saepius *Haemoptysin* oriri, nemo fere ignorat. It. *Stoll*. l. c. inter causas reponit spasmos vndecunq; productos. p. 20. Vnde haud te-

mere affirmamus, eiusmodi corporibus opium summum esse leuamen.

r) in Miscellan. Natur. Curios. An. IV. V. Obs. 207.

s) Vid. Collectan. Societat. Hafniens. T. II. p. 309.

t) Appar. Medicam. Vol. II. p. 277. consentit etiam cum eo *Selle* Med. Clin. p. 148.

u) Conf. Diss. m. c. § 17.

x) Inst. Med. Clin. §. 389. et *Morton* l. c. ait: conuenire opiata, si a pulmone calculis Haemoptysis proueniat.

y) Vid. *Allen*. l. c. p. 196.

qui de opio meriti sunt, *Tralleſum*, <sup>z)</sup> ita diſputantem: huius morbi (puta Haemoptiſis) medelam ſi addicere voluerimus, apud practicum quemcumque, vix vllum euoluemus, qui opiata haud ſuadent, ne *Stahlianis* exceptis, et circa finem eiusdem paragraphi, aperte dicit: ad tuſſim vtique maximopere valet, minime vero ad haemorrhagiam in ſe ſpectatam.

Fuerunt autem omni fere aeuo aduerſarii opii haud imbecilles, qui omnem opii vtilitatem in oeconomia animali plane delere et extirpare, omni ſtudio ſunt conati. <sup>a)</sup> Nec verſa vice defuerunt, qui ſine opio ſe nullos morbos poſſe curare, arbitrabantur, vt in primis de *Franciſco Syluio* fertur. Quod ſi vero vtrorumque ſententias comparemus, neque prior neque altera congrua ſatis videtur; ſequimur potius eorum conſilium, qui neque opii vſum plane interdiciunt, nec vbique et in quouis caſu illud praecipiant, ſed prudentem atque cautum eius vſum largiuntur. Huic quoque conſilio fauet quotidiana ſummorum virorum experientia, quae nos ſatis docet, concedendum imo commendandum eſſe opium,

F 3

prae-

<sup>z)</sup> Vſus opii ſalubr. et nox. Sect. II.  
§. 6.

<sup>a)</sup> Hic legi meretur *Trilleri* Tract. de Pleuritide Cap. III. p. 45. Eiusque Diſſ. de ſuſpecta opii ope in pleuritide. Viteb. 1774. It. Ei. Diſſ. de Tumoribus ſubitis a dyſſenteria intempetiue ſubpreſſa, obortis. Ibid. 1771. in quibus grauiſſima argumenta ex ſcriptoribus ſuperioris inprimis aevi ſedulo collegit, clauitans: opium ſemper eſſe ſoporiferum, ſed rarius opiiferum. Laudanum frequentius quidem laudatum, ſed parcius non nunquam omnino laudandum. p. 24. et 26. cum *Stahlio* vocat opium medicamentum non optimum et fructuoſum, ſed ſubdolum, potius, inſidum et lactuoſum, ſed quem

quaero fugit, haec omnia ſalua auctorum auctoritate et opii efficacia, tantam vim nequaquam habere, laudis aliquid opio detrachere, vt ipſe Auctor p. 22—23. fateretur, vbi de opio in genere eiusque in primis vſu in dyſſenteria, ita pronunciat: parcum tantum et tempeſtiuum opii et opiatorum vſum etiam in ipſa dyſſenteria — — penitus non improbemus. Oſtendunt autem potius eiusdem virtutes eximias, ſi a prudenti medico prudenter exhibetur; vt *Waldſchmid* in Diſſ. XVIII de Mon. Med. circa opium pag. 177. elegantè diſſerereque monet: Opium, comparans, cum enſe biſſido, qui imprudentem herum necat; eo vero, qui cum eo verſare nouerit, optimam patrociniū praebet.



praemissa venae sectione antiphlogisticisque euacuantibus, ne sua virtute stimulative nervi vasaque nimis excitentur.<sup>b)</sup>

f) Inter roborantia, quae ad Haemoptysis curationem adhibentur, merito referenda est radix gei vrbani *Lin. f. cariophyllatae*, cuius vis adstringens, roborans et antiseptica hactenus inprimis in febribus intermittentibus, sat nota fuit; non igitur est cur dubitemus, quin etiam in Haemoptysi curanda suam posset exercere virtutem. Illustrat hoc singulari exemplo *Buchhaue*,<sup>c)</sup> in viro quadraginta sex annos nato, cui ante sex menses Haemoptysis superuenit, recessit iterum saepiusque rediit, quam a grauioribus leuandis corporibus, se contraxisse, putabat. Chirurgum pedis venam secuit, ac per decem dies puluerem temperantem cum camphora ingessit. In consilium vocatus, pulmones debiles et sanguinem anastomosi prodire, iudicans, pulueris gei semidrachmam bis quotidie capiendam iussit, cuius vsu quatrduo Haemoptysi liberatus, eamque postea non expertus est. Non nulli etiam in Haemoptysis curatione, corticem peruuiianum, limaturam martis<sup>d)</sup> eiusque praeparata omnibus anteponunt; quod tamen cum *Cullenio*<sup>e)</sup> cum aliqua limitatione intelligimus, qui experientia adfirmat: corporis ad inflammationem dispositionem, cortice magis augeri quam

b) *Conf. Haase* Diff. I. de vsu opii saluari et noxio cet. Lips. 1777. p. 30.

c) In libello suo: *Observationes circa Rad. Gei vrbani*. Hafn. 1781. Obseru. 82.

d) Mentionem de marte facit *Cullen* in sua *Mat. Medic.* p. 189. vbi eius vsum in Haemoptysi plane interdicit. Item *Vogel* § 272. l. c.

e) *Fistlines of the Practice of Physic*. Lond. 1779. T. II. Eiusdem sententiae

accedunt: *John Fothergill* Lond. Med. Obs. cet. Vol. V. p. 350. Fatetur nimirum Experientissimus Vir, se non solum in pthili pulmonali corticem semper vidisse inutilem inerteque, sed continuatum eius vsum, ipsa Haemoptoe, pulmonum vlcera et mors, secuta sint. Monetque paulo post, corticem non nisi in pulmonum consumptione absque inflammatione et laesione orta, esse proficuum. Conqueruntur autem de hac pulmonum consumptione, non nunquam feminae, quae vel sola paupertate coactae, vel religioni



quam minui. Confirmat idem *Hallerus* <sup>f)</sup> commemorans casum  
 ulceris pulmonum feliciter sanati, addit denique sequentia: corti-  
 cis peruuiani usum, semper felicem haud fore, feminis inprimis  
 quibus cum sputo cruento mensis emanerunt, seque earum nul-  
 lam simili in morbo seruare potuisse, profitetur. Reticere tamen  
 haud licet, quantum in Haemoptili curanda praestat decoctum  
 corticis peruuiani cum eodem radicis glyzirrhizae coniunctum,  
 cuius efficaciam in eiusmodi affectionibus ipsemet aliquoties ex-  
 pertus sum, et dudum iam illud docuit *Morton*. <sup>g)</sup> Quisque au-  
 tem facile intelliget, in quo consistat huius decocti efficacia, pri-  
 mo enim resolutionem et expectorationem potenter iuuat, dein  
 vero solidis pristinum robur reddit, et vi sua leniter adstringente  
 vaforum consolidationem egregie iuuat. Haec nobis esse vide-  
 bantur praecipua, quae ad Haemoptysin pacandam et curandam,  
 commendari merentur remedia, nimirum: quae sanguinis motum  
 coercent et temperant, pulmonum inflammationem impediunt,  
 grumosum sanguinem resoluunt, spasmos tollunt robur et conso-  
 lidationem vasis reddunt. Restat autem indicandum, quomodo  
 curanda sit Haemoptysis ea, quae a metastasi materiae morbosae  
 oritur.

ligioni sibi aliquid ducunt, integrum an-  
 num et ultra instantes lactant. Conf. *Nürn-  
 bergeri* Diss. de damnis ex lactatione ni-  
 mium protracta. Viteb. 1773. Eadem  
 quoque consumptione corripiantur ii, qui  
 voluptati atque luxuriae nimis indulgent,  
 repetitisque lubricationibus, corpus ni-  
 mium debilitant. Neque minus ii, qui  
 febribus intermittentibus aliisque morbis  
 chronicis diu nimis vexantur. Huic sen-  
 tentiae etiam additus est: *Musgrau* in  
 Lectures on the pulmonari consumption.  
 p. 81. dicit nimirum: eougue a cortice  
 esse abstinendum, donec omnia inflam-  
 mationis signa euanuerunt. It. *Simmons*  
 in Practical obs. on the treatment of con-

samption. Lond. 1780. *Selle* l. c. p. 148.  
 et in eiusdem Beytraegen zur Natur und  
 Arz. Vol. I. pag. 168. It. *Home* in Clin.  
 Versuch. Krank. Gesch. und Leichenöff-  
 nungen. p. 126 et 221. idem affirmant.

f) Eius Opusc. Patholog. Obs. 68. pag.  
 182. quocum consentit *Gesnerus* Samml.  
 von Beobacht. aus der Arzney- und Na-  
 turkunde. I. Band. pag. 50. his verbis:  
 Niemals habe ich gesehen, dass die China  
 in einer wahren Lungenschwindfucht mit  
 Vortheil auf die Geschwüre gewirkt ha-  
 be e. f. p.

g) l. c. L. II. p. 56—75—124.



oritur. Obseruationes practicae hic docuerunt, eiusmodi Haemoptysin non nisi reuocato morbo, ex quo orta sit, posse curari. Vidimus et nos aliquoties Haemoptysin a sola gonorrhoea subpressa excitatam, quae omnia remedia respuit, restituto denique effluuio mox cessauit. Denique hortamur adhuc medicum, ne aluum negligat. Multum enim confert ad aequalem atque humorum motum liberum seruandum, et ad congestiones versus superiora auertendas, alui ductio. Haec tamen purgantibus fortioribus atque drasticeis nequaquam cienda est, sed rhabarbarinis, tamarindinaceis e. g. recipe: pulpae tamarindarum vnciam vnam, pulueris foliorum sennae, drachmam vnam, tartari tartarificati drachmas duas, aquae cinamomi sine vino drachmam vnam, oxymellis simplicis, quantum requiritur, vt fiat electuarium, cuius omni hora aeger capiat cochlear vnum aut duo donec aluus sufficienter respondit. Vel; recipe: pulpae tamarindorum vnciam vnam, passularum minorum semiunciam, rhei optimi drachmam dimidiam, mannae calabrinae vnciam semis, coquuntur cum aqua fontana per quadrantem horam, colaturae vncias sex capiat aeger cochleatim, ad eundem effectum. Praeferenda tamen esse, arbitramur, enemata lubricantia, quae laxantibus adhuc minorem stimulum corpori inferunt, sanguinis circuitum liberiores reddunt et spasmos manifesto tollunt.

*De Regimine ac Diaeta.*

Quale autem regimen seruandum sit iis, qui Haemoptysi laborant, hac paragrapho breuissimis complectendum est. Superius enim satis abundeque disputauimus, de tractatione morbi per medicamenta, indicauimusque consolidationis opus soli fere naturae esse relinquendum. At enim vero, neminem quoque fugit, quam multos esse, quorum natura ac corporis totius constitutio, vel

vel repetitis sanguinis eiectionibus, vel etiam alio praegresso morbo ita labefactata sit, vt sine adiumento, vires vitae, ad restituendam sanitatem solae haud sufficient, iis solummodo medicamentis succurrendum est. Patet igitur duplex via, in quarum altera per medicamenta, in altera autem sola diaeta aptoque regimine, ad pristinam sanitatem aegri perueniunt.

Quo ad regimen, euitanda sunt inprimis ea, quae sanguinem commouent, calorem augent et pulmones irritant. Ab omni igitur vociferatione, cantu, risu, corporis nec non animi perturbatione, abstinendum est, vt prudentissime monuit *Celsus* <sup>h)</sup> dicens: Haemoptoicis prae ceteris necessaria esse, quies, securitas et silentium. Idem iam praecepit *Hippocrates*, <sup>i)</sup> vitant, inquit, excandescentiam Haemoptoici, periculum enim est, ne morbus rediret; aer vero temperatus, nec nimis calidus nec frigidus iis maxime conuenit. Vnde *Benedictus* <sup>k)</sup> grauiter monet: Haemoptoici in niuium et grandinum congelatione, coeloque pluuioso magis tentantur. Ne autem versus superiora sanguis nimis ruat, ad situm quoque respiciendum est, vt nimirum aeger vel in sedili sedeat, vel supra lectum pectore tamen eleuato, iaceat. Haud parum quoque confert ad sanguinis versus pectus congestionem impediendam, si contra frigus pedes adseruantur, pectus vero ac collum a nimiis indumentis liberantur, nec non capitis aqua frigida lotio. Quodsi denique aegri ab omni reditus metu liberati, concedendae sunt modicae corporis exercitationes, v. c. rhedarum et nauis vectio, <sup>l)</sup> ambulatio et equitatio. <sup>m)</sup>

Vt

h) Lib. IV. p. 204.

i) de Intern. Affect. p. 639.

k) Theatr. Tabid. p. 109.

l) Commendarunt praeter *Plinium* l.a navigationem adhuc *Celsus* L. 3. Cap. 22. p. 169. *Fothergill*, *Cullen* l. f. c. et alii.m) Conf. *Sydenham*. l. c. Vol. I. p.

G

275



Vt denique morbi reditus auertatur, pauca de *Prophylaxi* adhuc monenda supersunt. Plethoricis nec non iis, qui certis anni temporibus Haemoptysi vexantur, comendandae sunt: venae sectiones iusto tempore institutae, animi vero et corporis motus vehementiores sedulo sunt cauendi. Indumenta inprimis circa pectus, nec nimis stricta nec calida sunt. Lucubrationes, vita sedentaria, et animi intentiones nimiae, quantum fieri potest, sunt intermittendae. Denique etiam euitanda, subitae refrigerationes, aer nimis calidus, vociferatio et cantus vehementior, et, vt breuiter dicam, omnia, quae humorum motum turbant, fugienda.

Quod ad victum attinet, interdicenda sunt ea, quae aegre digeruntur, quae ventriculum onerant et flatus gignunt, quae sanguinis circuitum celeriores reddunt, aromatica, spirituosae; e contra diaeta tenuis, parca, lactea, diligenter obseruanda est iis, qui morbo liberari cupiunt, hinc accommodatus debet esse victus aegri ipsius conditioni; macilentis et debilibus offeruntur iurulenta, acidula autem iis, qui temperamento calidiori gaudent, nec non serum lactis aqua cum pane bis cocto, cibi vegetabiles ac farinacei, propinantur iis, qui humorum quadam acrimonia laborant. Regimen itaque nec non diaeta accurate seruanda sunt, quum in Haemoptysi debellanda et praecauenda, plus saepe per ea quam per medicamenta efficiatur, vt exquisitè pronunciat *Lieutaud* \*) aiens: omnia praesidia longe antecellit congruum victus regimen.

*Conclusio.*

275. sanste afferit: quod neque mercurius in lue venerea, neque cortex peruvianus in intermittentibus efficaciores

extent, quam in pthiisi curanda equitatio.

n) l. c. P. I. p. 183.

❧   ❧   ❧

*Conclusio.*

His omnibus iam sedulo expositis, iudicio cuiuslibet, medicamentorum selectum eorumque propinationem in curanda Haemoptysi relinquimus. Quisque enim ex iis, quae a nobis disputata sunt, non vnum, in quavis Haemoptysi eiusque gradu, medicamentum, pari felicitate eundem praebere effectum, sed pro variis causis atque symptomatibus, varia quoque adhibenda eligendaque esse remedia, facile intellecturus est. Sufficit igitur, pertractato morbo nos denique monstrasse, detecta fuisse remedia recentissimis etiam temporibus, varia, quorum virtutes plus minus experientia laudantur. Vnde quoque Haemoptysin esse incurabilem, haud affirmare, nec semper curabilem, nec certi quid hic determinare licet; sed morbi circumstantias et quae supra enumerauimus, primum disquirere nostrum est, antequam de exitu, ut decet, iudicare valeamus, quod etiam medicorum parens *Hippocrates* \*) sapienter hoc effato monuit: Praestat corpus corpori, aetas aetati, affectio affectioni, et anni tempestas tempestati, in qua aegrotant.

Plura commemoratione digna forsitan dicenda restant, quae in hac tractatione Lector expectauerit, tempus autem, et libelli huius Academici limites, quos ei constitui, cum iam transgressi sint, calamum nunc retinent; accedit hoc, quod ad tale opus pro

G 2

digni-

\*) de Morbis L. I. Sect. V. pag. 438. Ed. Foef.



dignitate absoluendum, requiritur vir artis salutaris peritissimus, a tyrone vero, qui nil nisi ea, quae ex Doctorum ore haufit, publico edit specimine, illud non expectandum esse, nemo ignorat. Speramus igitur, eos, qui de nostro iuuenili labore iudicent, erga nos fore liberales et aequos, ac, si quid in nostro libello minus docte elaboratum, aut adeo erratum ipsis videatur, esse condonatu- ros. Itaque L. B. benignitate, freto animo, huic disputationi imponi poterit

F I N I S.

E M E N D A N D A.

p. 5. lin. 6. leg. initio. p. 6. lin. 6. leg. plurimorum. p. 7. lin. 8. del. ad.  
 p. 10. lin. 7. leg. comprehendit. p. 28. lin. 9. leg. experientia. p. 30.  
 lin. 2. leg. insignita. p. 34. lin. 11. leg. ei.



Wittenberg, Diss., Erg. Bd. 6, 1783/91

ULB Halle

3


003 922 553



sb.

WD/P






W  
E  
H







1928 K 944  
669  
DE  
H A E M O P T Y S I

GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE  
CONSENSV  
PRO GRADV DOCTORIS  
O B T I N E N D O  
DISPVSTAT  
HIERONYMVVS IACOBVS CONRADVS LVTHERVVS  
EKLENFOERDEA · HOLSATVS  
MEDICINAE CANDIDATVS.

D. XXII. MENS. SEPTEMB. A. R. S. MDCCLXXXIII.

VITEBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII.  
1783